HISPANIAE ET LUSITANIAE ITINERARIUM, NOVA ET ACCURATA...

Martin Zeiller

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XLV
A
66
NAPOLI

66

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

44
a
k

Digitized by Google



Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE III
NAPOLI

Nobiliſſimo ac Ampliſſimo

DOMINO

ÆGIDIO VALCKENIER

J.U.D.

Senatori & celeberrimi Scabinatus Amſtelodamenſis Præſidi digniſſimo

d. d. d.

ÆGIDIUS JANSSONIUS VALCKENIER.

BIBLIOTECA NAZIONALE "VITTORIO EMANUELE III" NAPOLI

PRÆFATIO.

HIſpaniæ Regnorum peragrationibus, earumque deſcriptionibus & operam & tempus fruſtra impendi arbitrantur haud pauci, quos ſequentibus rationibus moveri audimus. Prima oritur ex ſingularibus periculis & moleſtiis, quibus ejuſmodi itinera Hiſpaniam pervadentia obnoxia ſunt. Alteram ſuggerunt mores, conſuetudines ac ratio vivendi Hiſpanorum, quæ ad doctrinam parum aut nihil conferunt. Tertiam pauca in iis regionibus viſu digna ſubjiciunt.

Quantum ad primam attinet, propter plurimas cauſas in hoc libello paſſim adductas, itinera per Hiſpaniam periculoſa, ſumptuoſa & laborioſa eſſe non negamus. Sed agilis & benè inſtructus peregrinator, qui mundum, & quæcunque in eo ſunt, perluſtrandi cupidus eſt, ut populorum mores, & inſtituta cognoſcat, cognitioniſque ejuſmodi beneficio ſapientiam, fortitudinem, animoſitatem, eruditionem, humanitatem, humilitatem, patientiam, vitæque bene inſtituendæ rationem acquirat & addiſcat, cuncta ejuſmodi

impe-

impedimenta nil penſi habet. Nam aliâs, ac inprimis tempore hoc ipſo, quo omnia itinera, quaſcunque etiam regiones aut loca peragrent, ſingularibus periculis, multiplicibus incommodis, grandibuſque impenſis perficiantur oportet, limine ipſi non excedendum, ſed domi in Patria, in qua tamen etiam bellis furentibus ardente ſæpius ſecuro eſſe non licet, deſidendum, & manendum eſſet. Nec altera ratio à veritate abludit, cum & Hiſpanis ſui ſint nævi, & ſua vitia, ſicuti in opuſculi hujus capite primo ex aliis Autoribus de-

demonſtratur. Sed oſtende mihi quæſo nationem aliquam, quæ nullis nævis corrupta, nulliſque vitiis inquinata aliarum nationum taxationes effugere queat. La madre Natura (verba ſunt ingenioſi politici Trojani Boccalini) con tanta giuſta miſura trà le nationi tutti dell' Univerſo hà ſeminada l' Aſinità, che ogni uno ne ha la ſua parte uguale quella del compagno. *id eſt: Tam juſta menſura aſininas aures inter omnes totius univerſi nationes mater natura diſſeminavit, ut unicuique ſua debita*

debita & æqualis pars obtigerit. Innuere hoc auſus ſum in diverſis meis itinerariis de diverſis Europæ nationibus, & quidem in genere, non autem in ſpecie de omnibus & ſingulis, nec tamen in ullius, ut & Hiſpanicæ nationis, contemptum aut ignominiam. Ea de cauſa unumquemque obteſtor, & obnixè rogo, ne ſecus interpretetur, aut in malam partem rapiat, quæcunque ejuſmodi in medium protuli. Sicuti vero unuſquiſque populus, atque in eo unus homo præ alio vitiis inquinatior reprehenſionem me-

 retur

retur argum. l. 31. §. 21. ff. de ædil. edict. c. quando. diſtinct. 24. & c. Afros, diſtinct. 98. Ità etiam omnibus nationibus ſuæ ſunt virtutes, quibus laudis præconia ſibi conciliant, ut patet ex Hiſpanorum virtutibus haud paucis, quas in ipſis jure ac merito laudibus extollunt, quicunq; virtutis ſtudio deditiſunt. Inter eas eminet juſtitia, cujus adeò ſerii ſunt cultores, ut ſine ullius perſonæ reſpectu eam ſeverè adminiſtrent, & ideo pari apud eos jure cujuſvis conditionis homines gaudeant. Ioh. Mariana l. 1. rer.

Hiſpan.

Hiſpan.c.6. Hinc ſummis juxta cum imis paria ſupplicia, pareſque pœnæ paratæ ſunt, ſi leges tranſgreſſi fuerint, & aliquem è populo læſerint. Si nihil aliud laude dignum apud eos occurreret, hoc tamen certè omni laude majus eſt; quandoquidem juſtitia omnium virtutum Domina & Regina aſtrorum quorumvis ſplendorem fulgidiſſimum longè ſuperat, omnium virtutum, & legum perfectionem complectitur, ac ſola illa eſt, cujus indicio vitæ integritas in mortalibus deprehendi & agnoſci poteſt. Vt au-

)(6 tem

tem mihi ullum non eſt dubium, quin plurimis Germanorum, vitia, peccata, & ſcelera, quorum impune, & omni pudore deſtitutum exercitium in hac temporum fece libertatem, magnificentiam, candorem, ac dona, Germaniæ patriæ noſtræ apud omnes nationes in pretio habitæ celeberrima proſtituit, & nemini non ludibrio exponit, non modo ſummè diſplicenat, ſed etaim gemitus & querelas, patriæ ſuæ inſtantem interitum fidis, pacificis, & conſcientiæ ſtudioſis hominibus plorantibus ac miſerantibus ju-

ſtiſsimas extorqueant: Ita etjam nullus dubito, quin multi eruditi, benè educati, multis peregrinationibus exculti, & plurimis virtutibus ornati Hiſpani popularium ſuorum, vulgi præcipuè, vitia & nævos non modo non probent, verum etiam maximè deteſtentur. In hoc certè libello incolarum diverſas Hiſpaniæ civitates inhabitantium virtutes, humanitas & civilitas deſcriptæ inveniuntur. Peregrinator tanquam cynoſuram ducem ſequatur monitum diſtichi elgantiſsimi:

Sis apis iccirco, non turpis aranea, gentes
Qui luſtras: legit hæc virus, at illa favos.

Tertiam rationem hac reſponſione dimitto. Hiſpania quidem Italiæ & Galliæ, aliiſque regionibus, quas noſtri peregrinatores Germani inviſere ſolent, incolarum nec multitudinẽ nec cultu reſpondet: Suis tamen donis & dotibus, quas Deus & natura ipſi largita eſt, exornatur: pluribus item civitatibus magnificis & ſplendidis ſuperbit. Eæ ſunt: Alcala de Henares ſive Complutum, Aranivés, Badajoz, Balbaſtro, Barcelo-

celona, Bruga, Bargos, Calàtajud, Cartagena, Coimbra vel Conimbria, Compoſtella ſive Sant Iago, Cordona, Corunna, Cuença vel Concha, Cividad Rodrigo, Denia, Dertoſæ, Ebora, Elvas, Fuentarabia, Gibraltar, Girona, Granada, Guadalupa, Iaen, Leon, Lerida, Lisboa vel Liſabona, Logronno, S. Lucar de Barrameda, Malaga, Madrid, Merida, Moncada, Monçon, Montcamor, Morvedro, Murçia, Orens, Oviedo, Pamplona, Pardo, Perpinian, Placentia, Puerto de S. Maria, Salamanca, Salſas, Saragoza,

Sego-

Segovia, Sevilia, Siguenza, Tarazona, Tarragona, Toledo, Valencia, Valladolid, Vbeda, Xativa. Plures quoque aliæ, ex Romanis, aliiſque hiſtoriis, ac bellis variis notæ. In his Archiepiſcopatus, Epiſcopatus, monaſteria, templa, theſauri, Xenodochia, Academiæ, Bibliothecæ, Arces, Munitiones, ad amœnitatis voluptatem extructa ædificia, antiquitates, opera artificioſa, opera hydrantica, horti magnifici, aliaq; ejuſmodi viſu digna, ut & potentiſſimi totius Europæ Regis aula ac mirabile illud, & in toto orbe

be Chriſtiano famoſiſſimum S. Laurentii in Eſcuriali monaſterium uniuſcujuſque conſpectui ſe offerunt. Imò, ſi præter duo ultima ſpectacula nihil aliud ſe conſpiciendum in Hiſpania exhiberet, illa duo ſola tamen ad ſui ſpectaculum evocatos nec labori nec impenſis parcere ſuberent. A multis igitur deſideratum hoc Itinerarium, ob cauſas in Gallico Itinerario indicatas, ut promiſſis ſtarem, colligere, & antè Italiæ Itinerarium jam paratum, ac forſan cum Germanici Itinerarii appendice propediem

ſequu-

ſequuturum in lucem edere volui, nulla ratione dubitans, quin non modo Hiſpaniam luſtraturis, verum etiam & aliis, qui aut eam inviſere nolunt, aut rebus ad illud faciendum neceſſariis deſtituuntur, propter multas res ſingulares, & memorabiles, quas in nullis hactenus impreſſis libris offendent, gratum, jucundum & utile opus futurum ſit.

MARTINUS ZEILLERUS.

Canones Apodemici monentes.

Quæ iter facientibus ubique obſervanda ſint.

IN itineribus diligenti animadverſione notanda occurrunt

I. Regio, & quidem antiqua ejuſdem, & nova nomina.

II. Rectionis Adminiſtratio tam vetus, quàm nova.

III. Urbis nomen, ejuſdemque denominationis ratio, ſi quæ dari poteſt: Conditores item, Amplificatores & Reſtauratores.

IV. 1. *Fluvii eam alluentes, præterfluentes, aut inde derivati.* 2. Mare vicinum, & portus. 3. Montes. 4. Sylvæ, campi, paſcua.

V. Opera Publica, & Sacra. ut Baſilicæ, Templa Cathedralia, Templa, Monaſteria & Cœnobia; Profana, ut Palatia, Arces, Fora, Armamentaria, Propugnacula, Turres, aliaque opera Militaria, & modus, quo

firman-

ſirmantur. Opera privata Ædes civium, ac quicquid in iis notatu dignum ſe offert; horti, picturæ, fontes, ſtatuæ, &c.

VI. Gubernationis ratio, quò pertinent 1. Curia, cum ſenatu aut Senatoribus: 2. Scholæ, & juventutem educandi, ac inſtituendi modus; Viri itidem docti, & Bibliothecæ. 3. Vulgi mores, habitus, cibus, potus, opificia & ſimilia.

Itine-

Itinerum in hoc libello deſcriptorum Index.

1. *ITer Burdigalâ Bajonnam in Gallia, pag. 18.*
2. *Bayonnâ ad urbem S. Sebaſtiani in Guipuſcoia, à p. 120. uſque ad p. 128.*
3. *Ab urbe S. Sebaſtiani per Divi Adriani montem ad urbem Burgos in Caſtella regno. à p. 129. uſque ad pag. 138.*
4. *Ab urbe Burgos per Valdoledum, Segoviam, & Eſcuriacum, Mantuam Carpetanorum, Hiſpaniarum Regis ſedem. à p. 138. uſque ad p. 168.*
5. *Mantua Carpetanorum, ſeu Madrito per Alcaſam de Henares Toledum, à 183. ad 189. pag.*
6. *Toledo per Eſtremaduram regionem, Liſabonam, à 194. ad 213. pag.*
7. *Liſabonâ per S. Lucar de Barrameda, Puerto de S. Maria & alias ad urbem Gibraltar, ac inde Ceutam in Africa, à 223. ad 140. pag.*

8. *Ab*

8. *Ab urbe Gibraltar Sevillam, ſive Hiſpalim, à 241. ad 243. pag.*
9. *Hiſpali Cordubam à 251. ad 252. pag.*
10. *Corduba Granadam à 252. ad 255. pag.*
11. *Granada Murciam à 267. ad 273. pag. Item Granada Spiram, p. 350. Granada Heidelbergam p. 348. 349.*
12. *Murcia per Alicanten Valenciam, à p. 275. ad 281. pag.*
13. *Valencia per Morvedro, aut Saguntum, Tortoſam, Saragoſſam, & Tarragonam vel Tarraconem urbes, Barcelonam. à 287. ad 299. pag. Item Madrito per Caſtellæ & Aragoniæ regna, Saragoſſam, & porrò Barcelonam. p. 187. p. 300. p. 301 p. 345.*
14. *Barcelona, vel Barcinone ad celeberrimum monaſterium Montſerrate, ac inde Leridam & Saragozam in Aragonia. à 304. ad 316. pag.*

15. *Sa-*

Saragoza per Balbaſtro, & Venaſcam urbes, ac Comitatum Cominges Tholoſam in Gallia. à 323. *ad* 331. *pag.*

Barcelona ex Catalonia per Perpinianum Narbonam in Gallia, à 332. *ad* 337.

Tholoſa ex Gallia per Comitatum Bigorre, Principatum Bearnenſem, & Biſcaiam regionem ad urbem S. Iuan de pie de porto, in Navarræ regnum, & porro Pompelonam, & Saragozam, à 337. *ad* 342. *pag.*

Ex dicta urbe S. Iuan de pie de porto in Navarra per Longronno, & regnum ac urbem Legionis, ad urbem Aſtorgo in Aſturia, ac inde Compoſtellam ſive ad S. Iacobum in Gallicia, ac inde in Galliam, Angliam, aliaque loca, à 351. *ad* 361. *pag.*

Ab urbe Alicante & Valencia ad Compoſtellam in Gallicia, 363. 364.

20. *Ele-*

10. *Electoris Palatini Friderici II. & Huberti Thomæ Leodii ejuſdem Secretarii ad Cæſarem Carolum V. per Galliam, & diverſos tranſitus in Hiſpaniam ac inde in reditu itinera diverſa, à 343. ad 351. paginam.*

DE

GENEALOGIA REGUM HISPANIÆ.

ATTILÆ *temporibus Hiſpania in duodecim Regna erat diſtributa, ac poſtea ad quinque reducta, ut ſunt Caſtellæ, Arragoniæ, Navarræ, Luſitaniæ, & Beticæ ſeu Granadæ regna. Noſtris temporibus Mauri Granadæ regnum poſſederunt. Caſtellæ reges antè plures annorum centurias Chriſtianam religionem amplexi fuerunt. Nam Gotthi ex Italiâ expulſi, poſtquam ſub Regibus ſuis* Alarico & Ataulpho *magnam ipſi cladem intuliſſent, cum Rege ſuo* Segerico ſe in Hiſpaniam contu*lerunt. Sed nos Genealogiam hanc, à primo ipſorum Rege, in Hiſpaniâ Regnum obtinente, ordiemur.*

GOTTHICI REGES,
Qui in Hiſpaniâ ſibi invicem ſucceſſerunt.

1. A*thalaricus* primus Gotthorum in Hiſpaniâ, in quâ Romanotum proconſules & legati imperi-

um diu obtinuerunt, Rex tredecim annos imperavit: anno Chriſti. 344

Poſt ejus obitum Gotthi Romanis viginti & octo annos iterum paruerunt, poſtea Gotthicis ſuis Regibus denuò obedientes.

2. *Alaricus*, qui anno 410. Romam expugnavit ac ſpoliavit, viginti ſex annos Rex fuit. 385

3. *Ataulphus*, ſubitâ morte abrepto *Alarico* ſuccedens, 7. annos regnavit. 412

4. *Segericus*, ad pacem cum Romanis faciendam pronus, & à ſubditis ſuis interfectus, paulò diutius dimidio anno rexit. 416

5. *Vallia* & *Wallia* trium annorum Rex. 416

6. *Theuderedus*, vel *Theodoricus*, duos & triginta annos Regno præfuit. 419

7. *Thuriſmundus* patris ſucceſſor, circà Chalone in Champaniâ, in prœlio cum *Attila*, vitam amiſit, poſtquam biennium rexiſſet. 452

8. *Theodoricus*, fratre occiſo ad Regnum pervenit, eique tredecim annos præfuit. 453

9. *Euricus*, nonnullis *Henricus*, fratrem occidit, regno potitus eſt, primus Gotthis leges ſcriptas dedit, ac ſeptendecim annos Regio munere functus eſt. 466

10. *Ala-*

10. *Alaricus*, *Eurici* filius, 25. annos rexit. 483

11. *Geſalaricus*, ejuſdem *Eurici* filius nothus, quinque annos Regnum poſſedit. 506

12. *Theodoricus* 16. annos Regni poſſeſſor. 518

13. *Amalaricus*, *Theodorici* ex filiâ nepos, cùm ad ætatem virilem perveniſſet, avo ſucceſſit, & quatuor annos regnum obtinuit. 527

14. *Theudis* ſexdecim annorum & quinque menſium ſpacio regnum adminiſtravit. 531

15. *Theudiſcius* unum annum, ſex menſes, & ſexdecim dies in rectione fuit. 548

16. *Agila*, quinque annorum, ſex menſium, & *tredecim dierum* Rex. 549

17. *Athanagildus* quindecim annos & ſex menſes regni munus geſſit. 554

18. *Liuva*, poſt dimidii anni rectionem, Regnum tradidit fratri ſuo. 567

19. *Leovigildo*, octodecim annos regnanti. 568

20. *Reccaredus*, princeps bonus & pius, quoad Religionem majorum diſſimilis, cujus rectio quindecim annos, ſex menſes, & decem dies duravit. 586

21. *Liuva II.* *Reccardi*, filius, unum an-

annum & ſex menſes regni clavum tenuit. 601

22. *Vittericus Liuvam II.* crudeliter interfecit; armis potens ſed infelix, ſeptem annos regium munus geſſit. 603

23. *Gundemarus Vitterico*, ab aulicis ſuis occiſo, ſuccedens, unum annum, decem menſes, & quatuordecim dies regni gubernaculum tenuit. 610

24. *Siſebutus*, Rex doctus, eloquens, in bellis felix, & in hoſtes victos miſericordiam exercens, Judæos ad Chriſtianam religionem cogere voluit, & octo annis, undecim menſibus, & ſexdecim diebus, in regni gubernatione verſatus eſt. 612

25. *Suinthela* decem annorum Rex. 621

26 *Siſenandus*, quatuor annorum, undecim menſium, & ſexdecim dierum Rex. 631

27. *Chintillanus*, trium annorum, & novem dierum gubernatione gaudens. 636

28. *Tulca*, aliis *Julga*, biennii & quatuor menſium Rex. 640

29. *Chindaſuintus* ſex annos & aliquot menſes in regno fuit. 642

30. *Receſuinthus* viginti duobus annis, ſeptem menſibus, & undecim diebus

bus Regni compos fuit. 648

31. *Wambæ* adminiſtratio duravit octo annos, menſem unum, & quatuordecim dies. Hic monaſterium ingreſſus regno ſe abdicavit, & ſucceſſorem nominavit 672

32. *Eringium*, qui à Regni Ordinibus confirmatus ſeptem annos rexit. 680

33. *Egiga* quatuordecim annorum Rex. 687

34. *Witiza* cum patre *Egiga* quinque annos rexerat, bonus ab initio princeps, ſed poſteà crudelis, novem annos regium dominium obtinuit. 701

35. *Rodericus Theofredi* à *Witiza* viſu privati filius, perverſi Witizæ ſucceſſor, & in moribus non diſſimilis, triennium dominatus eſt. 710

Hic *Rodericus* injuriam patri ſuo illatam vindicans, Witizæ filios ex *Hiſpaniâ* exegit, qui in Africam fugientes cum *Tingafana*, & *Ulit* contra *Rodericum* fœdus inierunt, ad quod *Julianus* eò pronior erat, quòd *Rodericus* filiâ ſuâ *Cavâ*, quam priùs uxorem duxerat, jam pro pellice tantùm uteretur. Dictus *Ulit Juliani* inſtinctu, aliquot duces bellicos cum viginti quinque millibus militum in Hiſpaniam miſerat. Poſt diverſa prœlia tandem *Rodericus* periit, & Hiſpania, ci-

vitatibus ſenſim captis, In Saracenorum poteſtatem venit. Chriſtiani in Aſturiâ & Galliciâ diſperſi tunc temporis parebant.

36. *Pelagio Roderici* patruo, qui Africanis aut Mauris extorſit urbem Legionem, quam viginti annos poſſedit. Regis Hiſpaniæ titulo octodecim annos uſus eſt. Sic Gotthicum nomen in Hiſpaniâ evanuit. 716

37. *Faſila*, filius, in venatione ab urſo dilaceratus, biennio regni poſſeſſor fuit. 735

38. *Alphonſus I*, cognomento *Catholicus*, princeps præclariſſimus, novendecim annos, & duos ac triginta dies in regni poſſeſſione fuit. 737

39. *Froila*, quinque & triginta Saracenorum millia prœlio vicit, & regnum undecim annos, quinque menſes, & viginti dies in poteſtate ſuâ habuit. 756

40. *Aurelius* ſexennium & aliquot menſes regnum dominio ſuo obtinuit. 767

41. *Silo*, *Alphonſi* gener, Galliciam ſibi ſubjecit, & novennium regno potitus eſt. 774

42. *Mauregatus*, *Alphonſi* filius nothus, legitimo hærede, *Froilæ* filio ejecto, Saracenorum adjumento, ſexennii ſpatio re-

regnum retinuit. 783

43. *Veremundus*, *Vimàrami* à *Froila* interfecti filius, Eccleſiaſtico ſtatu depoſito, regnum adiit, ac poſtea tradidit 789

44. *Alphonſo II.* cognomento *Caſto*, principi omni virtutum genere ornatiſſimo, & tres ac triginta annos regnanti. 791

45. *Radimirus*, *Veremundi* filius, circiter ſeptem annos regnum poſſedit. 825

46. *Ordonius*, *Radimiri* filius, decem annorum Rex. 834

47. *Alphonſus III.* patri ſuccedens, princeps pius, in bellis ſtrenuus, & *Magnus* cognominatus, Regnum quadraginta ſeptem annorum poſſeſſione tenuit. 841.

48. *Garſias*, filius maximus natu, illicitis mediis Regno potitus, *Ayolam* Arabiæ regem captivum fecit, qui tamen ex. cubitorum incuriâ evaſit. Regnum ejus in poſſeſſione erat tres annos. 888

49. *Ordonius*, fratrem ſequutus, octennium & ſex menſes regni poſſeſſione uſus eſt. 890

50. *Froila II.* cognomento *crudelis*, *Alphonſi III.* tertius filius, ante *Ordonii* fratris filios regnum adeptus, & leproſus mortuus, nonniſi duos menſes regio titulo gaviſus eſt. 899

51. *Alphonſus IV.* cognomento *Monachus*, quinque annos & ſeptem menſes regio dominio præfuit. 899

52. *Ranimirus* regnum accipiens à ſuo fratre, illud cedente, hunc tædio facti affectum, ac iterum regnum affectantem viſu privavit, & in carcere captivum detinuit. Rexit autem regnum novendecim annos & duos menſes. 904

53. *Ordonius III.* patrem ſequens, quinque annos, & ſex menſes regnum in poteſtate ſuâ habuit. 924

54. *Ordonius IV. Ordonio III.* cognato ſuccedit, ſed mox ab initio regni ſui, quod vix orſus fuerat, pellitur à 929

55. *Sanctio I.* qui *Craſſi* cognomentum habens, undecim annos regnavit. 929

56. *Ranimirus III.* patrem adhuc puer ſequutus, viginti quinque annis imperavit. 940

57. *Veremundus ſecundus Ordonii III.* filius, impudiciſſimus princeps, cum duabus ſororibus, & filiâ propriâ inceſtum abominandum commiſit, & ſeptendecim annorum ſpacio regium ſceptrum geſſit. 965

58. *Alphonſus V.* regni paterni hæres, quem filia *Elvera* inceſtu polluta patri *Veremundo* genuit, viginti & ſeptem anno-

norum rectione regnum adminiſtravit. 982

59. *Veremundus III.* poſt patrem, regni adminiſtratione decem annos occupatus fuit. 1009

60. *Ferdinandus*, affinis cum quo bellum geſſerat, locum occupans, Caſtellæ & Legionis regna conjunxit; poſtquam etjam fratrem ſuum *Garſiam* vitâ ſpoliaverat, Navarræ regnum quoque uſurpavit, & Rex quadraginta annos manſit. 1020

61. *Sanctius II. Alphonſo VI.* fratre ejecto, & *Garſia* interfecto, ſolus in poſſeſſione manſit ſex annos. 1060

62. *Alphonſus VI.* poſt fratris mortem revocatus, regnum recuperatum trium & quadraginta annorum rectione curavit. 1066

63. *Alphonſus VII.* propiorum hæredum defectu avi locum occupans, anteceſſoribus ſuis potentiâ & magnificentiâ antecelluit, ac ſexaginta & unum annos regni gubernaculo præfuit. 1108

64. *Sanctius III.* præcedentis filius, acceptiſſimus, & multis titulis honorum egregiis inſignitus Princeps, unius anni Rex. 1159

65. *Alphonſus VIII.* cognomento *Bonus*, prioris filius, tres & quinquaginta annos Regii ſceptri poſſeſſor. 1160

66. *Alphonſus IX.* ſoceri ſucceſſor, quatuor annis adminiſtratione regni gaudens. 1213

67. *Ferdinandus III.* qui patrem ſequens, quinque & triginta illis annis, quibus regnavit, omnes Mauritanos ex Hiſpaniâ expulit. 1217

68. *Alphonſus X. Ferdinandi* dicti filius, ſingulari eruditione præditus Princeps, Tabulis Alphonſinis admodum celebris, qui occidentis Imperator ſalutatus eſt, triginta duorum annorum rectione regnum moderatus eſt. 1252

69. *Sanctius IV.* poſt patrem undecim annis regii muneris onus ſuſtinuit. 1284

70. *Ferdinandus IV. Sanctii IV.* filius, quindecim annorum gubernatione Regnum ſuum adminiſtravit. 1295

71. *Alphonſus XI.* poſt patrem, cum Saracenis bellum graviſſimum geſſit, eorumque bis centena millia diverſis prœliis cecidit, ac Algezir cum multis aliis locis ipſis eripuit; per quadraginta annos Regni onus humeris ipſius incubuit. 1310

72. *Petrus Alphonſi XI.* filius, Princeps crudelis, novendecim annorum ſpatio rectionem ſuam abſolvit. 1350

73. *Henricus II. Petrum* hunc in prœlio occidit, locoque ejus occupato, de-

decem annis gubernationem ſuam finivit. 1369

74. *Johannes I. Henrici II.* filius, Regni ſui adminiſtrationem anno vigeſimo primo ad finem perduxit, 1379

75. *Henricus III.* poſt patris, caſu ex equo mortui, obitum, ſexdecim annis regni clavo aſſedit. 1390

76. *Johannes II.* patris ſucceſſor, quadraginta ſeptem annos regno gubernando conſumpſit. 1406

77. *Henricus IV. Johannis II.* filius, viginti annos regno regendo impendit. 1453

78. *Ferdinandus V.* cognomento *Catholicus, Johannis II.* Arragoniæ Regis filius, qui *Henrici IV.* ſororem *Iſabellam* uxorem duxerat, omnia Hiſpaniæ regna, Luſitaniâ exceptâ, conjunxit, ac diverſa bella geſſit, & Regni gubernatione unum & quadraginta annos exegit. 1474

79. *Philippus I* cognomento *pulcher*, *Maximiliani* Cæſaris, & *Mariæ* Burgundicæ, Ducis *Caroli Audacis* filiæ, filius, cui *Johanna, Ferdinandi Catholici* filia, nupta fuit, unum tantum annum Regno præfuit. 1505

80. *Carolus V.* Imperator Romanus, & Hiſpaniæ Rex, *Philippi I.* filius, tribus & qua-

& quadraginta annis regni moderator fuit. 1517

81. *Philippus II.* oblatum à Patre *Carolo V.* depoſitum regnum ſuſcipiens, omnia Hiſpaniæ regna, quæ noſtris temporibus uni paruerunt, quaſi coagmentavit, & quadraginta annorum ſpacium regni rectione confecit. 1558

82. *Philippus III. Philippi II.* filius, viginti quatuor annos Regis officio functus eſt. 1598

83. *Philippus IV. Philippi III.* filius, hactenus Hiſpaniarum regna in poteſtate ſuâ habet. 1622

LUSITANIÆ REGES.

LUSITANIÆ Princeps primus fuit, Henricus Lotharingiæ Dux & Limburgi Comes, qui Patriâ ſuâ relictâ in Hiſpaniam veniens, *Tireſiam Alphonſi VI.* Hiſpaniæ Regis filiam, matrimonio ſibi junxit, in bellis cum Mauris ſtrenuè ſe geſſit, & ipſis Galliciæ regionem, quæ nunc Luſitania eſt, extorſit.

1. *Alphonſus I.* Luſitaniæ Rex primus, & Princeps ſecundus, quinque Reges Saracenos cecidit, & in rei memoriam quinque ſcutis inſignia ſuâ ornavit. Spacium temporis quo gubernavit, erat

erat trium & ſeptuaginta annorum. 1112

2. *Sanchius I.* paterni ręgni hæres, Princeps ſapientiâ præditus, viginti ſex annis regnum gubernavit. 1185

3. *Alphonſus II.* præcedentis filius, duodecim annos Luſitanis imperavit. 1211

3 *Sanchius II.* patris *Alphonſi II.* ſucceſſor, viginti & ſex annos Luſitanorum Rex fuit. 1223

5. *Alphonſus III.* Fratri ſuccedens, regiæ rectionis onus geſſit annos duos & triginta. 1249

6. *Dionyſius* hujus *Alphonſi* filius, Princeps verax, juſtus & ſapiens, primus Algarbiæ titulo uſus eſt, ac in regiâ gubernatione quadraginta & ſeptem annos vixit. 1281

7. *Alphonſus IV.* Patris ſucceſſor, anno rectionis viceſimo ſexto regere deſiit. 1325

8. *Petrus I. Alphonſi IV.* Filius, decem annos, & ſeptem menſes regnavit. 1357

9. *Ferdinandus I.* patri ſucceſſit, & decem annos, ac novem menſes regiæ gubernationis molem humeris ſuſtinuit. 1367

10. *Johannes I. Ferdinandi* frater nothus; quinquaginta annis regalem poteſta-

ſtatem habuit. 1385

11. *Eduardus* ſapiens Princeps patrem ſequutus, quinque annos regalem adminiſtrationem in poteſtate ſua habuit. 1433

12. *Alphonſus V.* poſt patris obitum tres & quadraginta annos regiam poteſtatem obtinuit. 1438

13. *Johannes II. Alphonſi V.* Filius, quatuordecim annos in adminiſtratione regiâ verſatus eſt. 1476

14. *Emanuel I.* à *Johanne II.* ſine liberis diem obeunte, teſtamento rex conſtitutus, viginti & ſex annos regiam poteſtatem geſſit. 1495

15. *Johannes III.* regio munere à patre relicto, ſex & triginta annos functus eſt. 1512

Hic Pater fuit *Ludovici*, cujus filius *Antonius*, ultimus Luſitaniæ rex, in Galliâ mortuus, & Pariſiis ſepultus.

Sebaſtianus I. Johannis III. filius natu minimus, in prœlio Africano cum Mauris anno 1578. vitam amiſit, in quo prœlio *Antonius* captus eſt.

Luſitani nullam filiorum, ex duabus Regis *Emmanuelis* filiabus natorum, rationem habentes, quamvis illæ natu majores eſſent, quàm fratres ſui poſt *Johannem III.* filium natu maximum nati, ac certò

certò putantes, *Antonium* cum *Sebaſtiano* Rege in prœlio occubuiſſe, eligebant *Henricum* ex liberis *Emmanuelis* ſolum adhuc ſuperſtitem, quamvis Cardinalis eſſet. Hoc regnante *Antonius* ex captivitate Africanâ evaſit, ac *Henricus*, poſtquam regnum ſex annos poſſederat, fatis conceſſit. *Luſitani*, *qui lege, filiarum*, & filiorum ex iis natorum ſucceſſionem abrogaverant, *Antonium* Regem conſtituerunt, qui in urbe Sautere in anno 1580. 19. Julii inauguratus, ac tribus diebus poſteà Lisbonæ confirmatus eſt. Munimenta, & civitates in Africa ſitæ, nuncio accepto, ipſum quoque regem acceperunt. Sed *Philippus II.* Hiſpaniæ Rex, Luſitaniæ regnum ſibi arrogabat, *Antonium Ludovici* nothum filium eſſe dicens, quanquam *Ludovicus Violentam*, *Antonii* matrem, clàm uxorem duxerat, ut *Ruy Celina*, integræ vitæ vir, moriturus *Antonio* patefecerat, dicens: quòd *Ludovicus* nullâ aliâ de causâ hoc matrimonium occuluiſſet, quàm ut authoritatem ſuam conſervaret, apertè tamen confitens, quòd uxorem duxiſſet, non tamen ſibi parem. Luſitaniæ Rex *Johannes I.* legem tulerat ab omnibus totius regni Ordinibus comprobatam, quâ fœminæ, & ex iis nati vel natæ, regni ſucceſſione exclu-

de-

debantur. Hujus legis vigore *Philippo II.* Hiſpaniæ regi ex unâ *Emmanuelis* Regis filiarum nato, jus in Luſitaniæ regnum competebat nullum, quod tamen armis in poteſtatem ſuam redegit, *Antonii* jus, & Luſitanorum voluntatem Hiſpanorum dominationi ſubjiciens.

Luſitani tandem, moleſtiſſimi jugi Hiſpanorum tædio affecti, Regum Hiſpaniæ dominationi ſe ſubtraxerunt, Regem eligentes *Ducem de Braganza*, legitimum, & proximum ſucceſſorem, qui nomine.

Joannes IV. hactenus Luſitaniæ Regnum in poſſeſſione ſua habet 1648

ARRAGONIÆ REGES.

1. *Ranimirus* primus narratur Arragoniæ Rex, qui quadraginta annos purpuram geſſit. 1018

2. *Sanctius*, Navarræ quoque Rex, ſex & triginta annos in ſolio regali ſedit. 1058

3. *Petrus I.* Navarræ etiam Rex, quatuordecim annos ſceptrum regium geſſit. 1094

4. *Alphonſus I. Petri* frater, octodecim annos coronâ Regiâ ornatus fuit. 1108

5. *Ramirus Alphonſi* frater, regnum gu-

gubernavit novendecim annos. 1126

6. *Raimundus* Barcellonæ Comes, uxoris *Petronellæ*, Regiæ hæredis jute. regnum adeptus, illud duos & triginta annos poſſedit. 1145

7. *Alphonſus II. Raimundi* filius, quatuor & quadraginta annos regni moderator fuit. 1169

8. *Petrus II. Alphonſi II.* filius, decem annos regnum in poteſtate ſua continuit. 1203

9. *Jacobus I.* Mauris inſulas Baleares, id eſt Majorcam, Minorcam & Yvicam, cum Valentia & Murcia, eripuit, & duos ac ſexaginta annos, cum novem menſibus gubernavit. 1213

10. *Petrus* III. etiam Siciliæ Rex, novem annos: 1276

11. *Alphonſus* III. ſex annos. 1286

12. *Jacobus* II. quinque & triginta annos 1292

13. *Alphonſus* IV. octo annos, 1327

14. *Petrus* IV. quinquaginta & unum annos. 1335

15. *Johannes* I. novem annos & quatuor menſes. 1387

16. *Martinus* ejuſdem frater, quatuordecim annos 1396


17. *Ferdinandus* I. cognomento *Honeſtus*, Caſtellæ, Regis, *Henrici*, frater,

quinque annos 1410

18. *Alphonſus* V. cognomento *Magnanimus*, *Ferdinandi* I. filius, qui primus ex Regibus Arragonenſibus Rex Neapolitanus factus eſt. 1416

19. *Johannes* II. Navarræ Rex, *Alphonſi* V. frater, viginti annos 1458

20. *Ferdinandus* II. cognomento *Catholicus*, *Joannis* II. Filius, & *Iſabellæ* Caſtellæ & Legionis Reginæ, maritus. 1474




…tibus.

5. De præcipuis Hi-ſpaniæ urbibus, ea-

11. De Hiſpaniarum Regis authoritate, & po-

A



DE REGNIS HISPANIÆ,

eorumque Conditione, Statu, Religione, Reditibus, Potentiâ &c. Incolarum Moribus, Ritibus, Linguâ, & ſimilibus.

CAPUT I.

ARGUMENTA.

1. De nomine, finibus, introitu, & aditu terreſtri, ut & de magnitudine Regni, quod uno nomine Hiſpania appellatur.
2. De diviſione, & diverſis Hiſpaniæ Regnis.
3. De ipſorum naturâ & proprietatibus, aëre puta, fertilitate & ſterilitate, metallorum fodinis, fluminibus, mari, portubus, pontibus, montibus, & promontoriis.
4. De Hiſpaniæ animalibus.
5. De præcipuis Hiſpaniæ urbibus, earumque diſcrimine.
6. De linguâ Hiſpanicâ.
7. De monetâ Hiſpanicâ.
8. De Incolarum naturâ, moribus, ritibus, & ſtatutis peculiaribus, doctis item, aliiſque magni nominis Viris.
9. De triplici Hiſpaniæ Ordinibus, ac primum Eccleſiaſtico, & Academiis.
10. De nobilium Ordine.
11. De præcipuis Hiſpaniæ ſtirpibus, ac tertio Ordine.
12. De Hiſpaniarum Regis authoritate & po-

& potentiâ.

13. De reditibus poſſeſſionibus, ac regionibus, quas in Europâ, Aſiâ, Africâ, & Americâ poſſidet.

14. De ejus aulâ, præcipuis officiis, miniſtris, & præſidiariâ cuſtodiâ.

15. De variis Hiſpaniæ Curiis & Judiciis: De Inquiſitione & quo pacto Regna, & Civitates regantur.

16. De iis, qui regionis adminiſtrationi uſque ad hæc tempora præfuerunt.

1. AUT à Rege *Hiſpano*, vel *Hiſpalo*, aut ab urbe Hiſpali, quæ & Sevilia, nomen ſibi aſcivit Hiſpania; aut etiam dicta eſt Σπανίη, quod ob locorum aſperitatem, & planitierum nonnullarum ſterilitatem rariore culturâ excolatur. Veteres Iberiam, Heſperiam, Celtiberiam, *Paulus ad Romanos* 15. *Hieronymus* & alii Σπανίαν appellitant, ut *ex* 2. *cap*. 2. *lib*, *part*. 1. *Coſmogr. Pauli Merulæ* liquet. Quà ſolem Orientem excipit, montibus Pyrenæis à Galliâ diſjungitur: Quà Occidere eundem cernit, Heſperii vel Atlantici maris incurſibus patet. Cantabricus Oceanus Septentrionalis, Herculeum verò mare Meridionalis ipſi terminus eſt. Inſulæ igitur ſpeciem ferè obtinens à *Strabone in lib*. 3. *principio*, & à *Ptolomæo* atque aliis corio bubulo extento com-

to comparatur. Anguſtus terminus Galliæ obverſus colli vicem gerit, ac quadruplici aditu ex Gallia terreſtri itinere accedentibus patet. Primus per *S. Adriani* montem ad *S. Sebaſtiani* oppidum ducens tantis anguſtiis viam includit, ut nonniſi mulis ſe mutuò ſequentibus tranſiri, ac à decem viris facili negotio cuſtodiri & occludi poſſit. Alter haud minori anguſtia ſe pandens Confrancam prope S. Juan de pied Porto tendit. Tertius eſt ſub Comitatu Cominges Arragoniam verſus, ipſarumque porto vel el puerto appellatus, qui tam præcipiti declivitate deſcendit, ut vix homini ejuſdem uſus concedatur, tantum abeſt, ut equo eundem tranſiri integrum ſit. Quartus cernitur in finibus provinciæ Languodocq, & Narbonnæ urbis viciniâ, quà montana *Salſas* nomine excurrunt: de quo videndus Joh. de Laet/ *de Regis Hiſp. Regnis & opibus p.* 8. Anguſtiſſimum & munitiſſimum reddunt piſcinæ, paludes, & ſtructuræ militares, quibus defenditur. Regionis ambitum nonnulli mille octingentis & nonaginta tribus, alii bis mille quingentis & octoginta milliaribus Italicis definiunt. Quidam, ut D. T. U. Y, ſexcentas & vinginti leucas Hiſpanicas, quarum quævis quatuor Italicis,

aut quater mille paſſibus reſpondet, adſcribunt. De terreſtri itinere hoc intelligendum. Longitudini à *S. Vincentii* promontorio (Cabo S. Vincente) quod eſt in Algarbiæ Regno, uſque ad Cataloniæ promontorium Cabo de Crens ductæ 275. milliaria tribuunt: Unde Galliam magnitudine ab Hiſpaniâ, ſi Luſitania ipſi jungatur, excedi ajunt.

2, Romanorum tempore Iberus fluvius eam in Citeriorem & Ulteriorem Hiſpaniam diſterminavit. Aliter etiam diviſa in Tarraconenſem, Bœticam, & Luſitaniam. Quænam autem regna diviſionum harum nominibus deſignaverint, Geographi & Coſmographi docebunt. Videantur etiam *Joh. Vaſæus in Chron. cap.* 8. & *Merula dicto lib.* 2. *c.* 11. Tempora ſequuta aliis diviſionibus regionem diſpeſcuerunt, donec tandem in duodecim regna diviſa fuerit. Ea ſunt Regnum Legionis, Veteris & Novæ Caſtiliæ, Arragoniæ, Luſitaniæ, Navarræ, Granadæ, Valentiæ, Toledi, Gallæciæ, Algarbiæ, Murciæ, & Cordubæ. Inter hæc primas tenent Caſtilia, Arragonia, & Luſitania, ſive Portugallia. Arragoniæ Regnum Cataloniam cum Comitatu Ruſcinonenſi (Rouſſillon) Valentiam item, & Majorcam ac Minorcam inſulas complecti-

plectitur. Sub Caſtilia ſunt Vetus ac Nova Caſtilia, Murcia, Biſcaja, Guipuſcoa, Leon vel Legio, Aſturia, Gallæcia, Toledo, Eſtremadura, Andaluſia, Navarra, Granada. Ad Luſitaniam ſeu Portugalliam Algarbia refertur. Biſcajam & Guipuſcoam principatus, reliqua regna eſſe ajunt. Quidam Eſtremaduram, & Aſturiam cæteris annumerant, & peculiaria Regna eſſe negant. Sed de Regnorum dictorum partitione variant, vide *P. Merulam cap.* 9. *fol.* 231. Plura de his regionibus & regnis occurrent apud novos Geographos; *Mercatorem* nimirum, *Ortelium*, *Maginum*, *Merulam*, *Bertium*, & alios; Item *Johannem Numeſianum in Hiſpaniæ Chorographia*, & *Ambroſium de Salazar in libro, cui titulus; Almoneda General de los Reynos de Eſpanna*, qui Pariſiis anno 1612. in octavo impreſſus, ac poſtea in Gallicam linguam converſus eſt: Porrò apud dictum *D. T. U. Y. in Commentario ſuo, Les Eſtats, Empires, & Principautez du Monde, à pag.* 135. *ad pag.* 141. edit. Pariſ. in quarto; ut & **Joh. de Laet** *in novo tractatu de regibus Hiſpaniæ regnis & opibus, qui ex Nonio, Botero, Hieronimo Paulo, Mariana, Oliveira, Reſendio, Gaſpare Barretio vel Barrerio, & aliis ſuum de his*

regnis opuſculum collectum anno 1619. *in* 16. *Lugduni Batavorum imprimendum curavit.* Nonnullorum etiam in ſequenti capite in ſingulorum Regnorum quæ itinera noſtra percurrent, mentio fiet.

3. Aër horum regnorum ſalubris & vividus plærumque judicatur. vid. *Merulam d. libro cap.* 3. Non tamen ubique eandem proprietatem, & indolem obtinet. In Boreali plaga frigidior, in Meridionali tepidior eſt. Sequentis itineris autor ſæpius in hoc capite literis N.N. citatus refert, quod cum comitibus ſuis etiam ipsâ æſtate anno 1617. plus incommodi ex frigore quam calore ſenſerint. Quàm profundam nivem habuerit Elector Palatinus *Fridericus II.* cum conjuge ſua, anno 1538. ad Cæſarem *Carolum V.* profectus ab *Huberto Thoma Leodio* in Electoris vitâ narratur. Idem autor valde conqueritur de nimio calore, quo dictus Elector anno 1526. vexatus fuit: intenſiore autem anno illo, quam aliis temporibus. Hyems plerumque in locis Meridionali plagæ ſubjectis non acrior, quam quod aëre aliquantum duriore, & paulum frigidiore ſuam præſentiam innuat. Maximus & intenſiſſimus calor à menſe Julio uſque in medium Novembrem viget, & incolas diurnis horis ædibus

bus

bus includit. Venti nocturni admodum noxii faciunt, ut cameræ & conclavia paſſim, in Luſitaniâ præcipuè, feneſtris careant. Ventis tamen Hiſpania non ità frequens, ut Gallia. Peculiaris quidam nihilominus frumentum infeſtat & adurit. Ut aër, ſic & ſolum diſſimile, ac varium. Quà Meridiem ſpectat opimum & lætum eſt: In aliis contrà locis aſperum, ſterile, & deſertum, nimirum ubi aër nimis frigidus illud pervadit, & ſcopuli, ſilvæ, ac montes aquarum penuria laborantes ſternunt. Magnum in iis tamen diſcrimen, at loca nonnulla commodiora ſe offerunt. Hinc civitatum magnarum præſertim numerus minor, & incolarum copia tam prolixæ Regioni non reſpondens, ut inferius de Regis potentia ſermocinaturi pluribus demonſtrabimus. Veteres, ut *Juſtinus lib.* 44. *in princip. Solinus cap.* 32. *Mela pag.* 27. *b. Editionis Pariſienſis anno* 1507. & alii de hujus Regionis felicitate & fertilitate largam mentionem faciunt, adeò ut eorum opinione Hiſpania Regionum optima judicanda eſſet. Sed experientia hodierna ipſis refragans nonnullarum rerum inopia ipſam laborare teſtatur. Frumenti copiam tantam non ſufficit, quanta incolis cunctis alendis requiritur. Advehen-

dum ergò illud ex aliis locis, Gallia nempe, & civitatibus ad mare Balticum ſitis, aliiſque portubus; eâque de causâ nautæ illud advehentes à vectigalibus immunes ſunt, aliiſque privilegiis gaudent. Ne caritas annonæ detrimentum incolis afferat, lege cautum eſt, nequis frumentum ſervandi causâ in granaria ſeponat. Dictus autor N. N. cujus iter per Hiſpaniam ab amico quodam deſcribendum nactus ſum, Sevíliæ, circa quam urbem frumenti feraciſſimus ager eſſe fertur, anno 1617. tantum panis quantum apud nos in Germaniâ duobus cruciferis emi ſolet, dimidio floreno venditum eſſe narrat. Pluribus locis, ut Lorcæ in regno Murcia, ſupplici libello à Conſule ſe & comites ſuos petiiſſe, ut pecuniâ ſuâ ſibi panem comparare liceret. Regem ipſum agros colendos curare qui pluvia deſtituti aquis conſpergendi & irrigandi ſunt, ne aulæ frumentum deeſſe poſſet. Imò mendicis vini hauſtum, quàm panis fruſtum incolas potius dare ſolitos ait. Sed quænam inquiet aliquis, hujus defectus cauſa eſſe poſſet, cum *Merula d. c. 3.* & *alii* (*vid. Marius Aretius, in dial. cui nomen Calipho*; *Damianus à Goes*, *& alii Hiſp. rerum Scriptores*) de tantâ agrorum fertilitate meminerint. Forſan ea, quod

quod Hiſpani plærique nobilium ordini ſe adjungentes agriculturæ exiguam admodum rationem habeant, ut ex multis locis, quæ præter ſterilia, lapidoſa, & deſerta, culturam deſiderant; liquere poteſt. *Ludovicus Nonius in Hiſp. c. in fine* eandem quidem, quam olim, & hodie Hiſpaniarum regnis fertilitatem eſſe, ſed culturam diligentem deeſſe affirmat. Quoniam enim, inquit, Hiſpani ad arma, quam ad aratrum proniores continuis in Indiam utramque navigationibus, & bellicis in alias regiones expeditionibus juventutem exhauſerunt, agricolarum raritas & defectus in causâ eſt, ut agrorum cultura negligatur, *Boterus in Relat. Univerſ. lib. 1. in deſcr. Portugal.* maximam frumenti ſibi neceſſarii partem Luſitanos à *Gallis*, & Septentrionalibus populis, ob agrorum ſuorum culturam neglectam, accipere tradit. Accedunt & aliæ cauſæ, inter quas hæ ſunt præcipuæ. Mappis ex menſis ſublatis, magna panis fruſta in pavimentum conjiciuntur, & pedibus conculcantur; ac Hiſpani ipſi nunquam heſterno die, ſed recens cocto pane albo veſci ſolent, ut dictus autor N.N. teſtatur. Nimia ſiccitas, & pluviarum abſentia impedit, quo minus frumentorum matureſcat. Ventus

Subſolanus illud, ubi maturuit, inſtar ignis adurit: & cicadæ exedunt. In urbe Badajos ſe vidiſſe ait Idem autor, quod Rex trecentos homines in agros mittere coactus fuerit, ut igne inſecta illa cremarent. Frumentum, quod ad maturitatem pervenit, pulcherrimum, & ferè ob nimiam maturitatem nigrum eſt. Hordeum adeò pulchrum, ut vix à tritico dignoſci queat. Avenâ Hiſpaniam deſtitui ajunt: Ejus loco equis & Aſinis hordeum, Cevada incolis appellatum, & ſtramen ſectum fœni loco datur. Vinum copioſum quidem, ſed odore & ſapore ingratum, aſperum, ac earum paſſim Hiſpanicæ Regiones proferunt. Hoc & quod ad nos affertur, magno diſcrimine diſtant. Hiſpanica vina in ipsâ regione corium redolent & ſapiunt, quia non in dolia, ſed ſaccos & utres ex porcino corio confectos reconduntur. Genus quoddam vini habent Petri Simonis appellatum, quod ad nos in Germaniam advehitur. Nominis ortum refert ad quendam *Petrum Simonem*, qui, juſſu Cæſaris *Caroli V.* vites ex regionibus Rheno accumbentibus in Hiſpaniam delatas in Caſtiliâ plantaſſe dicitur: Alii filium ejuſdem hoc feciſſe affirmant. Fructus author dictus & comites, tanta copia, quanta quidem ibi eſſe prædican-

dicantur, non offenderunt, ſed pretio ſatis magno ſibi comparatunt bonitate & præſtantiiâ Italicis poſtponendi: Malorum Punicorum incredibilis multitudo, quia ubique, ut rubi apud nos in ſepibus, naſcuntur. Olivarum copia innumerabilis: Sylvas diceres potius, quam arborum fructiferarum hortos. Cibis coquendis omnibus adhibetur olivarum oleum, ſicuti in Germanio butyrum. Apud exteros tamen tanti non ſit, quanquam, quod circa Murciam naſcitur, haud exiguam laudem meretur. Cæterorum fructuum, aſparragorum puta, capparidum, ficuum, ceratiorum, ſive ſiliquarum Græcarum, mororum abundantia mediocris. Dactylos ſatis carè Hiſpani vendunt, iiſque matutino tempore ovorum loco veſcuntur. *Lactucarum* & Raphanorum omnem ferè fidem ſuperans ubique proventus. His fere ſolis vivant, ut proverbio locum fecerint *Unas Azeytunas, una Salada, y Ravanillos, ſon comida de Cavalleros.* id eſt, Olivæ, lactucæ, & raphani, ſunt equitum nobilium cibi: Sed his à porris & cæpis abſtinendum. Prohibentur *articulo* 19. *legun, quas Alfonſus Rex* anno 1312. Auratorum Equitum Ordini della Banda, vel Faſciæ rubræ præſcripſit, Verba legis ſunt. Nequis E-

quitum Auratorum craſſis & ſordidis cibis, ut porro, & cæpis, ac ſimilibus veſcatur, qui ſecus ſecerit, octidui ſpacio ab aulo abſens eſto, nec cum quoquam Equite Aurato cibum capito. *Limnæus de jure publ.lib.6.cap.1.num.41.& cap. 4. num. 51.* Porrò in Hiſpaniâ Gallæ ad atramenti conſectionem, & coriorum, Cordubenſium præparationem neceſſariæ; & Sal albiſſimum inveniantur. Communis & pervulgata eſt opinio, auri, argenti, & ferri copiam tantum nullibi reperiri. Aurum certe non montes ſoli, ſed & flumina largiuntur. Teſtes, famoſiſſimus Tagus, & alii, in quibus nonnunquam dimidiam libram habentia fruſta occurrunt. Sed quoniam ex Indiâ aurum affertur, lege prohibitum eſt, ne effodiatur, ſi *Nonio* fides habenda. Thermas & fontes ſalubres valetudini inſervientes Natura quoquè huic regioni elargita eſt. Propè oppidulum Orenſem Gallæcia ad Minium flumen ſitum Burga fons eſt, in quo ova coqui poſſunt. Aliquot mille paſſus ſupra Burgos Veteris Caſtiliæ urbem fons cernitur, cujus aqua bibita dyſenteriam curare dicitur. Eandem virtutem flumini Xenit aſcribunt. Alius fons apud Antequeram civitatem haud procul à Velles Malaga calculo medetur.

Ther-

Thermæ valetudini conducentes in Gallæcia & Granada viſuntur. De his inferius ſuo loco. Fontium in urbe Badajos circiter mille & quingentos numeras ajunt. Vide *Marineum Siculum*, *lib.* 1. & *P. Merulam in fine* 7. *cap.* Flumina Hiſpaniæ feruntur eſſe centum & quinquaginta, ità tamen conſtituta, ut ad navigationem parum conferant. Eorum præcipua ſunt. 1. Iberus, vel Ebro, qui Danubium imitatus in orientem pronus labitur; Curſum enim ejus montes Occa vel Idubeda inhibentes eum in Orientem reflectunt. Quadringenta & ſexaginta paſſuum millia percurrit, antequàm ſub urbe Tortosâ effuſis in Mediterraneum mare undis evaneſcit. Tredecim alios fluvios ſecum abreptos in mare præcipitat. Conſule *Joh. Marianam lib.* 1. *de rebus Hiſpan. cap.* 3. *pag.* 4. *edit. Mogunt. anno* 1605. *in* 4. 2. Durius vel Duero, qui maximus omnium judicatus in mari Occidentali undas ſuas perdit. 3. Tagus vel Tajo aurum, margaritas, & oſtreas vehens, & ſub Liſabona Occiduo Oceano infuſus. 4. Anos, hodie Rio de Guadiano in Oceanum delatus. Sub terrâ decem milliarium ſpatio ferri ſcribitur, quanquam experientia huic fabulæ contra dicit, quod in ſequenti capite monſtra-

ſtrabitur. 5. Boetis hodie Quadalquiver, admodum quieto lapſu curſum Seviliam promovens, ſcopulis tamen hinc inde naves ad urbem dictam tendentes remorans, ac haud rarò fundum petere cogens. 6. Minius hodie Mingo, quem Oceanus quoquè in ſinum ſuum recondit. De cæteris inſpice *Merulam lib. 2. cap. 7. L. Marineum Siculum lib. 1. de reb. Hiſp. f. 4. edit. Complut. de anno* 1533. *in fol.* Lacus apud oppidulum Bejara fremitus, quem, tempeſtatis inſtantis præambulum, inſtar bovis mugientis edere creditur, per octodecim millia paſſuum auditu percipi poteſt. Alius eſt in monte Stella, de quo dictus *Merula fol.* 223. Albuſera pulcherrimus Lacus Valentiæ vicinus conſpicitur. Pontium, qui flumina ſternunt maxima pars lapidea eſt: Pauci lignei reperiuntur: Inter omnes eminent Segovienſis, & Alcantarenſis. Ex omnibus his fluminibus, & mari omnis generis piſces nanciſcuntur ii qui in eorum vicinia habitant. Remotiores piſcibus non affluunt, ac ideo libertate & indulgentiâ eâ fruuntur, ut die Sabbathi carne porcinâ, capitibus, inteſtinis, & pedibus animalium mactatorum veſci ipſis liceat. Inter præcipuæ notæ portus Hiſpanicos numerantur S. Sebaſtiani,

Bal-

Balbao, Liſabona, S. Lucar de Barame-do, Porto S. Maria, Calis Malis, Co-runna, Gibraltar, Malaga, Cartagena, A-licanta, Grujo apud Valenciam, Tarrago-na & Barcelona. Vid. *Lucas Aurigarius in Navigationis ſpeculo chart.* 10. *ſeqq.* Hi-ſpaniæ Rex paucis inſtructus eſt navibus. Hollandi, referente de Laet / uno men-ſe plures in Oceanum naves, quàm Rex ſex menſium ſpacio emittere poſſunt. Gentis nauticæ paucitas non eſt minor, ac idcircò, qui ex Indiâ redeunt, tamdiu occluduntur, donec naves iterum ab-eunt, ut ſint ſemper in promptu, qui in Indiam mitti poſſint, ut nominatus au-tor N. N. docet. Montibus Hiſpaniæ re-gna ſcatent, atque ideo non curribus aut equis, ſed aſinis peragrari volunt. Mon-tes Pyrenæi primas tenentes quindecim milliarium longitudine inter Galliam & Hiſpaniam interſunt, ac in diverſos mon-tanos tractus dividuntur. Pars eorum quoque eſt *S. Adriani* mons in Guipi-ſcoa, unicus in Caſtiliam tranſitus, & ut ſuprà dictum, adeo anguſtus, ut u-num tantum aſinum tranſmittat. Ali-cubi Pyrenæi montes etiam Roncevallen-ſes nuncupantur. Eorum latus Galliæ oppoſitum arboribus carere, latus alte-rum Hiſpaniæ obverſum iiſdem conſi-

tum

tum eſſe *Strabo lib.* 3. ſcribit. Sed falſum eſſe nominatus author N N. obſervavit. De montibus Pyrenæis conſulatur *Antonius Beuter in Chron. Hiſpan. cap.* 6. *pag.* 66. *Edit. Venet. de anno* 1556. *in* 8. His ſuccedunt montes d'Occa, olim Idubeda ut ſuprà monuimus. Ex Pyrenæis montibus egreſſi Tortoſam, ac Mediterraneum mare verſus ſe extendunt. Oroſpeda montis ſub Moncajo montibus initium ſumentes, & diverſis nominibus appellati ad fretum Herculeum deſcendunt, de quibus *Navagierus in ſuo Itinerario*, & *Mariana* legendi. Ipſis annumerantur mons Calpe, ſive Gibraltar, & altiſſimus ſcopulus inter Hiſpalim & Granadam, nomine la penna de los Enamorados notiſſimus, de quo, & memorabili ipſius hiſtoria, *Mariana lib*, 19. *cap.* 22. *Munſterus lib.* 2. *cap.* 41. *f.* 124. *ultimæ edit. de anno* 1628. *Merula cap.* 4. *lib.* 2. *Lanſius in conſult. pag.* 499. *edit. anno* 1628. *in* 8. & *Theatr. meum Tragicum* 4*tæ edit. de anno* 1634. *pag.* 626. Porrò de Hiſpanicis montibus tractant *Marineus Siculus lib.* 1. *Merula lib.* 2. *cap.* 4. *Hieronym. Paulus in peculiari libello, ac de Pyrenæis montibus præcipue. L. Nonius cap.* 80. & *P. Bertius* 77. *pag.* Promontoria Hiſpaniæ ſunt Cabo de las Pennas

de

de Cuzan in Oceano Cantabrico olim Promontorium Scythicum, Cabo de Fines terre; Cabo de Caſcais ad Liſabonam; Cabo de Vincente, olim Sacrum in Algarbia. Plura item alia de quibus laudati authoris conſulendi.

4. Ex animalibus equi Hiſpanici totius mundi equis omnibus præferuntur. Ex illis autem præcedunt, qui in Andaluſia, & circa Cordubam naſcuntur, ac tantâ pulchritudine eminent, ut à nullo pictore pulchriores pingi queant. Tantæ autem ſunt velocitatis, ut à vento ipſo ferri videantur: In pugnando quoque tantæ alacritatis, & animoſitatis, ut omnem fidem ſuperent. Viribus tamen & robori eorum aliquid decedere videtur. In Aſturiâ nati fortiſſimi & robuſtiſſimi cenſentur & Aſturcones appellantur, Circa Uliſſiponam oriundi velocitatis incredibilis famam obtinent, adeo ut à vento ortum traxiſſe dicti olim fuerint:

——————— *Et ſæpè ſine ullis*
Conjugiis vento gravidæ (mirabile dictu)

Virg. 3. Georg. pag. 274. ſeq. Quantâ tolerantiâ labores exhauriant, & quantâ certitudine veſtigia ſua promoveant muli Hiſpanici, iis innotuit, qui per Hiſpaniam iter fecerunt: His palmam omnibus equis præripiunt. Singulare autem

eſt,

eſt, quod in Caſtiliâ ſolâ animalium hoc genus excellens propagetur. Cæteri extra Caſtiliam geniti degeneres ſunt & nullius precii. Nam propè Puente del Arcobiſpo Tagum flumen tranſiturus mulos offendes, qui nihil planè valent. Quidam Canes Hiſpanicos laudibus extollunt. Excellere quoque dicunt verveces, præſertim qui Carnerôs vocati probè ſaturant, & circà Madritum frequentiſſimi ſunt. Ideò magni nominis Baro quidam, qui cum duobus principibus Hiſpaniam peragravit, narrat, in admirationem raptos fuiſſe Hiſpanos videntes, quod octo ex comitibus armum vervecinum edendo conſumere potuerint. Caro vervecina & hœdina in Hiſpaniæ regnis frequens: Vaccina rarior. Bubulam & vitulinam Mantuæ Carpetanorum ſive Madriti Legatorum œconomi emunt, & dominorum menſis coctas apponunt. Gallinæ & Capones ubique rariſſimi. Cæteræ aves raræ quidem etiam, non tamen pretio tanto comparantur. Excepta Eſtremadura, quæ vaccas alit, in reliqua Hiſpania butyrum difficulter admodum nanciſceris. Cum ſæpius citatus *Leodius Fridericum* Electorem anno 1526 per Hiſpaniam iter facientem comitaretur, & in oppidulo Gomorra de butyro

tyro comitatus electorali ad iter neceſſario proſpicere vellet, ad aromatarium ab incolis miſſo butyrum in veſicam capræ reconditum, & ad emplaſtrorum uſum conſervatum ab homine illo monſtrabatur dicente, *Leodium* in totâ Caſtiliâ tantum butyri non inventurum. Vide etjam *Lanſium in orat.cont Hiſpaniam pag.* 460. Venationis exercitia ſatis crebra ex ſylvarum & montium commoditate oriuntur. Vivaria ſua Rex habet, præcipuè ab Eſcuriali Madritum uſquè. Nullarum ferarum major frequentia, quàm cuniculorum, maximo tamen damno incolas afficientium, quia terram effodiunt, & arborum ac fruticum radices corrumpunt. Circà oppidum S. Lucas de Barrameda planities eſt deſerta, el boſco del Duque nomen habens, quia ad *Ducem de Medina Sidonia* pertinet: Feris, ac inprimis ardeis affluit. Lege, quæ Johannes de Laet de Hiſpaniæ regnorum fertilitate & ſterilitate, de iis quæ ex Hiſpaniâ in exteras regiones exportantur, & ex his contrà in Hiſpaniam importantur, ex *Mariana*, *L. Nonio*, *Joanne Barclaio*, *Joanne Botero*, & aliis collegit. Pervolve item *P. Merulam*, *Damianum à Goes*, *Hub. Thomam Leodium*, *Thomam Lanſium pag.* 148. *ſeqq. & D.T. U. Y.* in cujus libro

libro ſæpius allegato ea memoriæ prodita ſunt, in quibus Hiſpanorum divitiæ & negotiatio conſiſtunt.

5. De præcipuis Hiſpaniæ civitatibus conſule caput ſequens, & autores ibi allegatos: ut & *Lanſium in orat. pro Hiſpan. pag.* 265.*ſeqq.* 267. qui ibidem de Sagunto, & aliis veteribus urbibus agit. Diſcrimen inter Ciudad & Villa docet *Ambroſius de Salazar in Itinerario ſuo, vel Almoneda General.pag.*60. *ſeq.* Ciudad vel civitas plus eſt quam Villa vel urbs, quamvis illa interdum hâc minor ſit. Quâ rectione vero civitatum quævis gubernetur, ex mox ſequuturis patebit.

6 Hiſpanorum lingua acuta, brevis, gravis, efficax, & plena proverbiorum multum acuminis occulentium: Non tamen una. Bajoſenſem, & quæ hodierno tempore in Navarræ Regno, & Alaba regiuncula, ac apud Gaſconiæ & Cantabriæ incolas in uſu eſt, primum & originalem primòrum Hiſpaniæ incolarum fuiſſe quidam arbitrantur. Hanc regnorum Caſtiliæ habitatores non intelligunt, & Vaſquenſem appellitant. Vid. de Cantabricâ linguâ *Lucius Marin.Siculus lib.* 4. *& Merula ſ.* 231. Diſſentiunt alii vid. *Merulam part.* 2. *Coſm. lib.* 3. *cap.* 8. *ſ.* 226. Omnium optima eſt, quæ in Caſtilia

ſtilia circa Valladoletum ad urbem Toledo uſque in uſu eſſe ſolet; quia maxima ejus pars vocabulis Latinis nonnullis tamen etiam Ethiopum aut Afrorum vocabulis commixtis conſtat. Luſitanorum ſermo à priore differt. Catalonienſium idioma cum Gallico in multis convenit. In Granadæ viciniâ, Andaluſiâ, & Seviliæ qui habitant, multa vocabula Arabica in ſermocinando adhibent. Montium in regno Granadenſi incolæ Arabicam Linguam ferè exprimunt: Communis eſt opinio, præter Gothica, & Græca vocabula, quæ in Hiſpanica lingua inveniuntur, quartam ad minimum ejuſdem partem Arabicum eſſe. Teſtatur hoc libellus in lucem editus, & ſequentem titulum in fronte gerens: *Vocablos Arabigos introducidos en la lengua Caſtellana*, *recopilados en Granada por el ſanto oficio.* Hic diligenter lectus alicui linguam Latinam aut Italicam callenti reliquam Hiſpanicæ partem admodum facilem reddere poteſt: Exempli gratia aliquot tantum ex illo excerpta vocabula huic loco inſeram. *Acenna* mola aquatica, *Acirára* ephippiorum tegmen, *Açada* rota aquatica, *Açufre* Sulphur, *Açumbre* menſura, *Açutea* ſiccitas, *Adalid* dux, *Adarga* ſcutum, *Adarve* mœnia, *Adelva* Cy-

nos

nos batus, *Aduao* pagus, *Aguinaldo* ſtrena, *Agujera* ligula, *Alaçor* Crocus ſilveſtris, *Alamud* peſſulum, *Albala* Scheda, *Albanega* rete piſcatorium, vel vitta fœminea texta, *Albannar* latrina, *Albannir* lapicida, *Alberda* clitellæ, *Albarran* Calebs, *Alberca* piſcina, lacus, *Albornia* lactis vas, *Albornoz* pallium viatorium, *Albricias* læti nuncii præmium, *Alcabala* vectigal, *Alcaçaba* munimentum, *Alcalmeta* lena, *Alcalde* Judex, *Alcántara* pons lapideus. *Alcanzia* vas pecuniam comparcendam cuſtodiens, *Alcaria* Villa, Prædium, *Alcartaz* Velitatio, *Alcaide* Burgi præfectus, *Alcohela* Endiviæ aqua, *Alcuza* olei amphora, *Aldea* pagus, *Aldava* malleus quo fores pulſantur, *Alfaharero* figulus, *Alfange* acinaces, *Alfajara* ſartrix, *Alfeniqüe* fœniculum, *Alferez* Signifer, *Alfiler* acus, *Alforza* tunicæ plica, *Algalla* moſchus, *Algarbe* hiatus, *Algazara* clamor, *Algibe* ciſterna, *Algodon* goſſypium, *Alhaja* ſupellex, *Alharaca* clamor, *Alheli* graminis flos, *Alhombra* tapetum Turcicum, *Alhandiga* horreum, *Alicates* acuti forcipes, *Alhofar* perlarum mater, *Almaciga* Maſtiche; *Almadána* ligo, *Almagro* creta rubra, *Almanaque* Calendarium, *Almandarache* portus, *Almazen* armamen-

mamentarium, *Almedina* urbs magna, *Almenáro* ignis nocturnus, ignis lætitiæ, *Almirez* mortarium, *Almocrebe* agaſo, *Armofrex* ſaccus peræ viatoriæ, *Almogávar* eques ſclopetarius, *Almohaza* ſtrigilis, *Almohada* pulvinar, *Almoradrix* Amaracus, *Aloxa* hydromel, *Alqueria* villa, *Alquermes* purpura, *Alquerque* latrunculorum ludus, *Alcaduz* fontis fiſtula, *Arrabal* Suburbium, *Arroba* quarta centenarii pars, *Atabal* tympanum, *Arrope* vinum coctum, *Atambor* tympanum, *Arand* feretrum, *Axaqueca* capitis dolor, *Axaraca* laquens, *Axaraſe* porticus, ambulacrum, *Axarave* ſyrupus, *Axedrez* ludi latrunculorum alia, *Azache* ſericum, *Azeyte* oleum, *Azeytuna* oliva, *Azoque* Argentum vivum, *Bancal* tapetum, *Barrena* terebra, *Batan* plumbeus malleus, *Baſa* ſpuma, *Bellyta* glans, *Berruga* verrucæ, *Bolſa* marſupium, *Bolija* lagena vini, *Caçador* Venator, *Cachas* cultri manubrium, *Calabaça* pepo, *Calahora* munimentum, *Cambuz* larva, *Caracoles* cochlea, *Caga* cujuſque rei extremitas, *Camarra* pelliceum, *Capato* calceus, *Caraguel* linea bracca, *Caranda* cribrum, *Caratan* cancer, *Clueca* gallina pullos habens, *Debalde* fruſtra, *Eſparragor* Aſparragi, *Fran-*

culin

colm attagen, *Gaita* utriculus, *Galapago* teſtudo, *Garça* arde, *Garama* vectigal, *Halda* plicæ, *Haſta* huc uſque, *Javali* aper porcus ferus, *Jarſe* murus ſine calce, *Lebeche* Africus, Libonotus, *Lexia* Lixivium, *Maçacote* cæmentum, *Magran* tributum, *Marchamo* ſignum, *Maralahuga* aniſum, *Monſi* in exilium ejectus, prædo, *Muladar* fimetum, *Naranjo* chartarum luſus, *Oroçus* tympanum, *Peregil* Petroſolinum, *Peſtillo* peſſulus, *Pujabante* ferrum figens, *Pulga* pulex, *Palgar* pollex, *Quintal* centenarius, *Recamado* fimbriatus, *Rincon* angulus, *Sirga* funis in reti piſcatorio, item funis, quo navis in terram trahitur, *Tabaque* quaſillus, *Tarbea* conclave, *Tazinia* calculus putatorius, *Telliz* tapetum, *Trujaman* interpres. *Vandara* vixilla, *Vara* baculus, *Xabon* Smegma, *Xabeca* magnum rete piſcatorium, *Xarave* Syrupus, *Zagal* animoſus puer, *Zagala* puella ruſtica, *Zambrero* Muſicus, *Zaque* uter vinum aut oleum continens, *Zarbatana* ſclopetum avibus jaculandis idoneum, *Zorzal* turdus &c.

7. A linguâ ad Hiſpaniæ monetam devolvimur; Triplex illa, aura, argentea, & cuprea. Illæ duæ imaginem, nomen & inſignia regia ferunt, ac Seviliæ ſive Hi-

Hiſpali, & Segoviæ tantum, hæc poſterior ab aliis etiam cuditur. Ex auro conficiantur Dubloni & Piſtolettæ, quæ dimidio dublono valore ſuo reſpondent. Inveniuntur quoquè aurei nummi ſatis antiqui, quos Ducatus appellamus; Regis *Ferdinandi*, & Conjugis *Iſabellæ* imaginibus inſigniti ſunt. Occurrunt quoque Zekini, & alii Ducati, aut aurei nummi inſignibus Burgundicis notati qui in Hiſpaniâ non excuſi prætium tamen ſuum retinent. Numiſmata argentea ſunt Regales, Realen, quos exportare licet, non autem aureos illos nummos, qui piſtolettæ vocantur. Sunt illi Regales, unius, duarum, quatuor, & octo partium. Eorum permutatio in Galliâ lucrum haud exiguum parit, cum unus octo partium cum thaleri Regii pretio conveniat, & unus quatuor partium dimidio thalero regio æquivaleat. Cupreos nummos regna & civitates excudunt. Qui in Caſtiliâ uſitati ſunt, quart vocantur; eorum octo & dimidius unius partis Regali reſpondent. Quæcunque emenda, parvo numiſmate Maravedis nuncupato redimuntur. Imò Principum & Magnatum reditus per Maravedis, vel Maravediſios, quos *Azevedo* Moraperinos nominat, ſupputantur. Nam quando dicitur, hujus aut

B illius

illius Principis reditus annuos eſſe trium millionum, & ſeptingentorum & quinquaginta millium maravediſiorum, intelligendí ſunt viginti ſeptem millia librarum Francicarum, ſeu 9166 $\frac{2}{3}$ coronati, quando una libra Gallica decem bacionibus noſtratibus reſpondet. Sic quando dicunt; Hujus Comitis reditus annui largiuntur centum mille maravidis, intelligantur, neceſſe eſt, 2200. libræ Gallicæ vel 1466 $\frac{2}{3}$ floreni Germanici. *Meteranus in Hiſtoriâ Belgicâ* tradit, *Ducem quendam de Medina Sidonia Comitem quendam de Bajar* ad nuptias invitaſſe, eique litteris invitatoriis ſignificaſſe, quod filiæ ſeptuaginta quinq; maravediſiorum millia dotem dediſſet. Hi circa An. Chriſti 1585. non plus ducentis ducatis valuerunt. Triginta quatuor Maravedis regali, duo Maravedis uno octavo, quatuor quarto, duo octavi quarto, quartillus duobus quartis, octo quarti & unus octavus regali, undecim regales Ducatoni, viginti ſex regales Duplioni, vel duabus piſtoletis, vel coronatis, regalis autem quinque gallicis ſouls vel ſolidis precio reſpondent, ut authoris noſtri N N: ſcriptum itinerarium docet: *Sed* Johannes de Laet/ *cap. 20. pag.* 374. quartillos quatuor, regali æqui valere refert. Si igitur

tur unius quarti illi pretium cum octo maravediſiis convenit, non 34. ſed 32. maravediſios regalem æquare neceſſe eſſet. Porro 375. maravediſios, & aureum nummum, qui vulgo Ducatus, ejuſdem precii eſſe affirmat. Decies centies mille maravediſios Hiſpani appellatione vulgari, Quento nuncupant; Quentus autem hic 2673. aureos nummos aut ducatos, 8. regales, & 26. maravediſios complectitur. *Johannes Wilhelmus Neumeyer in itinerario ſuo* 6. maravediſios, & decem nummos Germanicos idem pretium habere ſtatuit. Luſitanis in magnis & parvis rationibus putandis familiare eſt vocabulum rees, quorum reeſiorum quadragenti, & Luſitanus Ducatus, quem Cruſato vocant, in eodem ſunt pretio. Huic 11. Regales conveniunt: Regalis autem unus *triginta quinque reeſiis* æſtimatur. Teſtones etiam habent, quemvis centum reeſios valentem; Decem autem teſtones cum viginti duobus regalibus convenire dicuntur. Cupres Luſitaniæ nummi Caſtellæ regni nummis majores Regis Sebaſtiani imagine, aut ſola littera S. inſigniuntur. In Arragoniâ, Valenciâ, Cataloniâ, & Barcellonæ unius Regalis pretium viginti tribus denariis (denires) ducati verò pretium duodecim regalibus æ-

ſtimatur, ut Johannes de Laet monet. Noſter vero author Valentiæ Regalem viginti quatuor, & Barcellonæ duodecim denariis æſtimari dicit. Qui in Hiſpaniâ fuerunt, aut etiam Hiſpanicæ monetæ cognitionem habent, diſceptationem hanc decidere poterunt. Cupreæ monetæ uſus in regione, in quâ cuditur ſolus, extrà eam nullus. Si quis Hiſpanicam monetam, ad Gallicam reducendi cupidus eſſet, maravediſios per 34. dividendo in regales, & hos per duodecim partiendo in coronatos mutaret, neceſſe eſſet. Exempli gratia 66799. maravediſii dabunt 1964 regales & 23. maravediſios, & regales dicti 163. coronatos, 8. regales, & 23. maravediſios. Vide *Ambroſium de Salazar in fine inventarii vel Almoneda general.* Monetæ Hiſpanicæ ad Gallicam reducendæ viam ac modum monſtrantem, qui 34. maravediſios uni regali pretio reſpondere etiam aſſerit. Ex trajectitia pecunia fœnus trapezitis aut menſariis enumerandum quod attinet; autor noſter & ſocii in urbe S. Sebaſtian decem, de centum, florenarum jacturam fecerunt. Quatuor enim regalium nummo in Hiſpaniâ zoſons, ut vocant, & in Galliâ 22. ſous valente duo ſous deceſſerunt. Cæterum Pariſiis ſeptunces

uſu-

uſuras mercatoribus Madritum & Hiſpalim ad duos Gallos pecuniam ipſis curantibus pernumerarunt. Hoc iter facienti cuique attendendum, ne nimis magnam pecuniæ ſummam ex uno in alium locum permutandam curent. Plurima enim Regni loca ſunt, ex quorum uno ſi in alterum ſe conferunt, ejuſdem Judici aut Magiſtratui indicare coguntur, quantum pecuniæ penes ſe habeant. Quam iniquè autem ſæpius viatores habeantur, ex ſequentis itineris deſcriptione patebit. Injuriam taceo quâ paſſim à viarum, portarum, & pontium cuſtodibus afficiuntur.

8. De veterum incolarum moribus, ritibus & conſuetudinibus Scriptores *Juſtinus*, *Silius Italicus*, *Diodorus*, *Strabo*, *Iſidorus*, *Ælianus*, *Catullus*, *Maginus*, *Merula*, *Bertius*, *D. T. U. Y.* *atque alii plures* legantur. Hiſpani hodierni naturæ calidæ & ſiccæ, coloris ſubfuſci, ac modicæ ſtaturæ breves capillos alunt, & exterarum gentium homines, qui capillis promiſſis ac cincinnis exornati in ipſorum regionibus conſpiciuntur, probris inceſſunt; periculum taceo, quod interdum tales cincinnati ſubeunt. Nonnulli ex authoris noſtri N N: Comitibus imberbes quidem, ſed cæſarie promiſſâ decorati maledictis acerbis excipiebantur,

 pro-

proſtibula & ſodomitæ appellati. De moribus Hiſpanorum tractant· *Merula Coſmogr. part. 2. lib. 2. cap. 8. Guicciard. lib. 16. hiſt. Ital. pag.* 455.6. *Lanſius in orat. contrà Hiſp. pag* 491. & 548. *Campanelli de Monarchià Hiſp. cap.* 19. *Joh. Boterus in relat. univerſ. lib.* 1. *part.* 1. *Hieron. Benzo in nova novi orbis hiſtor. lib.* 1. *cap.* 8. Superbia taxatur in Hiſpanis omnibus gentibus aliis ſe præferentibus, & ſeveritate ſuâ gravitati nimiæ permixta in cujuſvis fere odium ſe adducentibus. Ab ipſis ſuperbi tituli, adulatoriæ blanditæ, faſtuoſæ ceremoniæ, aliaque ejuſmodi profecta ſunt. In externum faſtum, & ſpeciem fallacem unicè intenti proprias ſuas laudes avidis auribus hauriunt, & neſcio quid magni perſuadere ſibi audent adeò ut ad incredibilem & inſolentem faſtum delapſi nil projiciant niſi ampullas, & ſeſquipedalia verba. Appellant ſe gentiles hombres & hidalgos, id eſt nobiles, & præcipuæ notæ homines. Omni honorum genere ſe mutuo proſequuntur, quod & vulgo familiare eſt. De grandibus & magnis rebus ſermones, libenter miſcent; de rebus militaribus colloquentes, & quo pacto huic vel illi hoſti reſiſtendum ſit. Hoc ſi medicè, & cum grano ſalis ſit, neutiquam reprehenſione dignum

gnum judicandum: imò potius ſoptandum, ut noſtri Germani in conventibus ſuis nonniſi de nugis confabulantes, omiſſis ejuſmodi confabulationibus nugacibus, Hiſpanos potius æmularentur. Sumptuoſis & precioſis veſtimentis corporibus ſuis decorem & ornamentum conciliare ſtudent, ac in plateis ſpectari volunt. *Cyriacus Spangenbergius part.* 1: *ſpeculi noblit. lib.* 6. *cap.* 11. *fol.* 62.*ex Julii Landi deſcript. inſulæ Maderæ* refert, apud Luſitanos nobiles in more poſitum eſſe, ſequiorem ſexum omni officiorum genere demereri, in ipſius gratiam omnia facere, veſtes, mores, motus, equitationem, ambulationem, ſtationem, loquelam, & colloquia ita inſtituere, ut muliebris generis benevolentiam & amorem ſibi conciliare queant. Singularem verò, eumque inſignem ornatum quærere in barbis & capillis alendis, & exornandis, eoſque quotidie non ſemel, ſed decies imo ſæpius pectendo dirimere, & purgare, barbas contorquere, & omni ratione componere: eâ de cauſsâ etiam curare, ut quòcunque ſe conferant, pectines, peniculos, ſpongias, unguenta, & faciei pigmenta in promptu habeant, & à miniſtris iiſdem oneratis ad nutum accipere queant. Hinc quemque ſe pe-

ctere, quandocunque lubido eum incedat: Interea miniſtros expurgandis veſtimentis, thorace, bracca, pallio, cæteriſque negotium ſibi faceſſere, & operam ſummam dare, ut omnia nitida, & ad oſtentationem in plateis & ædibus alienis aptiſſima reddantur. Hinc multum temporis curâ hâc inutili eos conſumere, & ferè ſingulis horis ejuſmodi nitori vacare. Hactenus *Spangenbergus.* Nec res anguſta domi plurimis impedimento eſt, quominus hunc faſtum diligentias obſervent artificioſe paupertatem diſſimulantes, & mira cibi ac potus parſimoniâ id unum ſtudentes, ut & pretiosè veſtiti, & multis ſervis comitati cum aliis in publicum prodire queant. *vid. Joh. Barclaium in Icone animor. c.* 7. quo pacto autem ſervi iſti habeantur, & tractentur, ex *Lazarilli de Tormes vita*, quam *Didacus Hurtadus de Mendoza* litteris mandaſſe fertur, & 4. inprimis ejuſdem tractatus capite innoteſcet. Ut ſibi de victu & amictu proſpiceret, Valladolidi ſeptem diverſis matronis inſervire coactus eſt. *vide part.* 1. *c.* 13. Sin Hiſpanis de alienâ quadrâ vivendum, haud fruſtra penes ſe dentiſcalpia habent, utpote qui tuburcinando probè ventrem ſaburrantes, omni gravitate ablegata; ita frontem exporrigunt, ut ruſtico-

ſticorum inſtar tumultuantes ad jurgia & cædes etiam prorumpant. *D. T. U. T. p.* 146. *Munſterus lib.* 2. *cap.* 32. *fol.* 104. *editi. ult. de anno* 1628. *Lazarillo de Tormes dictus in deſcr. Hiſpanici convivii part.* 2. *c.* 14. *p.* 126. *edit. Pariſienſis A.* 1620. Domi parum bibunt, ut *Maginus* ait, vinumque aqua probè diluunt. In Granadenſi regno juventuti vinum nullum propinatur. Vulgus ubique aquam potat, ex quâ in plæriſque Hiſpaniæ civitatibus quæſtus ferè maximus. Æſtivo tempore potus ipſis eſt uſitatus, cui ex melle confecto Aloxa nomen: hunc nive, ut vinum, refrigerare ſolent. Poſt cibum captum duas aut tres horas ſtrato incumbentes quieſcunt. Ut ad indolem ipſorum redeamus, naturâ taciturni, ſimulandi ac diſſimulandi artes noverunt. Aſtrologiæ ſtudio dediti triſtiores plerunque, & inhumaniores ſunt *Lanſio teſte pag.* 546. *&* 497. alias regiones quidem peragrant, rarò tamen, cum peregrinis familiaritatem contrahunt, cum pervicacis, & pertinacis ingenii homines ambitioſi, & ſuſpicioſi facile quidvis in contemptum ſuum tendere arbitrentur; nec inter ipſos amicitia contracta longæ eſt durationis. *Trajanus Boccalini centur.* 3. *relat.* 34. Hoc inprimis, inquit, ipſis ſolenne eſt, ut

eâ de cauſâ homines alios viſitent, quo loco honoris ipſis habẽdi ipſos eò promptius & acerbus criminentur & reprehẽdant. Sed nec hoc apud alias gentes hodie infrequens, cum fidelitas jam fere ubiq; locorũ exulet. Sororis ac fratris nomine compellare, manus premere, arridendo humanum & amicum vultum exhibere, ſed ejuſmodi amicitiæ falſæ ſignis falſis alios decipere & prodere humano generi his temporibus eſt uſitatiſſimum. Sed Hiſp. populares ſuos apud peregrinos extra natale ſolum ſummis laudibus extollere, & magnis titulis honorare ſolent, ut ex *D. T. U. T.* diſcimus. In quibus & hoc comperiri ſolet, quod eum, quem benevolentiâ complexi ſunt, honeſto, integro, & conſtanti amore proſequantur. Noſter *Author N N*: de Hiſpanis dicit, quod ob Regis præſentis matrem ex Germaniâ oriundam Germanis maximè addicti ſint; licet vulgus eos clamoribus acerbis in plateis adoriatur, & bibones ac ebrios appellitet. Nam hoc Germanis cum aliis gentibus Hiſpaniam frequentantibus commune eſt ut à vulgo inhumaniter accepti contumelias illas audire, & omninò tolerare cogantur, ut etiam nebulones & fures admodum contumelioſe appellentur. Cæterum crebro contingit,

git, ut Angli, Germani, & alii vel minimam Religionis ſuſpicionem incurrentes *Lutherani* aut Huguenotæ nuncupari ſoleant. Amborum nominum illud in Hiſpaniâ vulgarius, & notius eſt. Plures Hiſpanorum eâ opinione imbuti ſunt, Lutheranos à verâ humanitate longè abeſſe, & beſtiarum more viventes vitam planè Epicuream & voluptuariam degere. Mihi in quodam haud minimæ notæ loco narratum eſt, Secretarium illum Hiſp. qui poſt *Margarethæ* Archiduciſſæ Auſtriacæ regiæ matris obitum in Germaniam miſſus erat, ſummam in admirationem raptum fuiſſe, cum audiſſet, Dominos illos in Carinthiâ & Stiriâ ſingulari doctrinâ prædiꞇos, multarum linguarum peritos moribus humanos, & civiles, ac in colloquendo admodum jucundos, cum quibus una in convivio adfuerat, Lutheranam Religionem profiteri: Imo illud ipſi dicentibus diu fidem adhibere noluit, eò quod hæc Religio in Hiſpaniâ tot conviꞇiis onerata in ſummam invidiam, & contemptum maximum adducta fuiſſet. In Religionis negotio, & cultus divini ceremoniis ritibus Hiſpani omnibus nationibus aliis excellunt. Aliquem ſalutantes *Alabado ſea*, inquiant, *el Santiſsimo Sacramento*, vel *Jeſu Chriſto*, id eſt, laude-

tur Sanctiſſimum ſacramentum, vel laudetur Jeſus Chriſtus. Duabus ædibus in campo conjunctis mox adjunctum eſt templum alquod; Sacella taceo, quæ ubiquè in viis ſeſe offerunt, Sacratum perſonarum, præcipuè Franciſcanorum, aut Diſcalceatorum, quos *Fráyles Franciſcanos*, & *Deſcalçados* vocant, togas atque manicas oſculantur. Liberis ægritudine aliquâ correptis, mox huic aut illi ſancto vota faciendo pollicentur ſe filium aut filiam priſtinæ ſanitati redditam hujus aut illius ſancti veſtitu veſtituros, unde fit, ut tot pueri & puellæ Franciſcano aut ſimili habitu induti ubique occurrant. Parentes liberos, & præceptores diſcipulos non in ſingulari, ut in Germaniâ, ſed in plurali numero alloquantur, non tu ſed vos dicentes. De Papâ & Inquiſitione ſummâ reverentiâ ſermocinantur. *Dominicus Bannis Profeſſor. Acad. Salmanticenſis ſuper ſummam Thomæ* 4. 11. *artic.* 12. *contendit*; Inquiſitores hæreticæ pravitatis, ex præſumptionibus etiam procedere poſſe; & teneri punire eum, qui ex dictis vel factis hæreticus eſſe apparet, etjam ſi revera non exiſtat. In iis locis, in quibus inquiſitio ſedem habet, hæretici igne exuſti in templorum periſtyliis, & porticibus depicti cernuntur, quorum
capi-

capitibus diabolus impoſitus eſt; Iis, qui ſe adhuc ad Cathol. Romanam Religionem converterunt, aut receperunt, crux appicta eſt. Cum autem veteres & novi Chriſtiani diſcrimine aliquo diſtinguantur: magno quoque odio inter ſe diſſident. Mauri, & infideles Chriſtianam religionem profeſſi *les Converſos*, & Æthiopes baptizati *Negros* appellantur. Novi hi Chriſtiani ad nullius muneris adminiſtrationem admittuntur, niſi ab inquiſitione legitimi facti ſunt. Calcaribus induto nulli templum ingredi licet, ſicuti & in Galliâ Curias Judicii Regii calcaribus frequentare nemini integrum eſt. Feſta majora celebrantes in templis larvati & perſonati choreas ducunt, quod cum Comitibus ſuis toties citatus *Author NN*: Ulyſſiponæ & Hiſpali vidit. Muſica in templis exigua, & concentus non laudati; cum Hiſpani haud magni muſicæ artis cultores nullius inſtrumenti muſici peritia excellant, nec etiam aliis linguis addiſcendis multum operæ impendant. Latinæ locutionis non uſquè quaquè peritis in diſputationibus & colloquiis Academicis Hiſpanica lingua familiarior, pronuntiatio tamen Latinæ linguæ, ac Proſodia ſive accentus, quam Gallis & Anglis, melior. Vide *Merulam*, *D. T.*

U.T.&

U.T. & *Lanſium in locis citatis.* : Item *Munſterum lib.* 2. *cap.* 32. & *Marianam lib.* 1. *rer. Hiſpanic. cap.*6.*pag.*8. & *cap.*4. *de morbis ſocietatis* &c. qui ipſe humaniorum litterarum cultum apud ſuos deſiderari non inficiatur. Quando in Academiis diſputationibus operam dant, Præſes Cathedræ inſidens pallio flavo ex ſerico, & pileo faſcia circundato, ac plumis ornato indutus eſt. Reſpondens ſub Cathedra reſponſione debita non ſatisfaciens manibus pedibuſquè exploditur. Opponens è regione conſiſtens poſt argumentum objectum omnes totius auditorii angulos oculis pervadit, ut auditorum præconio extollatur, Profeſſores dimidium tantum annum lectionibus ſuis inſumunt: Studioſorum plærique Philoſophiæ ſtudio, præcipue autem ſoſphiſticis digladiationibus ſe mancipant. Salamancæ maxima eſt ſtudioſorum frequentia, & Doctorum optimorum haud pauci ibidem inveniuntur. Biennii ſpatio aliquis ad Doctoris gradum pervenire poteſt. Gradu ille acquiſito Domum ſe confert Advocati munus geſturus, ſi juris in regione uſitati peritus fuerit. Cum Germani noſtri anno dicto 1617. Monſerrato Saragoſam iter facerent, eorum comitatui ſe adjunxerunt monachus ac ſtu-

ſtudioſus. Hic Salamancam ſibi iter eſſe dicebat, ut Doctoris gradum ibi conſequeretur. Interrogatus quamdiu juri operam dediſſet; ſe inſtitutionibus juris (inſtitutum juris appellabat) unum menſem, & alterum Bartolo legendo impenſurum, ut anno evoluto Salamancæ Baccalaureus & Barcellonæ in patriâ ſuâ Doctor evadere poſſet: reſpondit. Latinæ linguæ ignarus erat monachus. Cæterum doctorum virorum fama celebris, etiam Hiſpaniæ celebritatem auxit. Eam nobilitarunt olim Theologicæ facultatis lumina: *Vigilantius, Aquilius, Severus, Prudentius, Oſius, Avitus Preſbyter, Marcianus, Paulus Oroſius, Pacianus, Iſidorus, Fulgentius, Eutropius*: & alii plures: Ex Rabbinis, *Rabbi Aben Ezra, Moyſes, David Kimchi, Moſes Cordubenſis, &c Camora*. Inter juriſconſultos Hiſpanos excelluerunt; *Didacus, Antonius Covarruvias, Martinus ab Aſpilcueta dictus Navarrus, Ant. Anguſtinus, Arius Pinellus, Ferd. Vaſquius, Joh. & Fran. Vergarés, Emanuel Soarez, Didacus à Segura, Joh. à Villalabos, Alvarus Valaſcus, Joh. Gutieres, Ant. Goveanus, & Thomas Sanches*, Medicorum præcipui fuêre; *Averroes, Raſis, Almanſor, Meſſahallah, Avincenna, Petrus Nonius, Ama-*

matus, Chriſtophorus à Vega, A r.d. Lacuna, Garzias ab Horto, & Fr. Valeſius. Inter Philoſoph. Hiſtor., Oratores, Poëtas, &c. primas tenuerunt *Seneca Philoſophus, Seneca Rethor, Lucanus, Martialis, Columella, Fabius Quintil. Pomponius Mela, Trogus Pompejus, Juſtinus, Alphonſus Caſtiliæ Rex, Arnoldus Villanovanus, Raymundus Lullius, Ludovicus Vives, Ferdin. Nonius, Anton. Perezius, Hieron. Surita, Alvarus Gomezius, Joh. Barroſius, qui Hiſtorias Indicas diligenti curâ litteris mandavit.* Alii porrò multi: *Fr. Ximenius* Cardinalis, & Archiepiſcopus Toletanus, qui plus quam ſexaginta ducatorum Bibliis Complutenſibus impendit; vide *Alvarum Gomec. de Fr. Ximenis lib. 1. Hieronym. Oſorius, Andreas Reſendius, Benedictus Arias Montanus, Franciſ. Forrerius, Johan. Baptiſta Villalpandus, Benedictus Pererius, Franciſcus Toletus, & Joh. Maldonatus.* De doctis Hiſpaniæ viris conſule *Munſteri Coſmographiam edit. ult. de anno* 1628. *lib.* 2 *cap.* 32. *fol.* 104. *Lanſium in orat. pro Hiſpaniâ pag.* 293. *ſeqq: ac præcipue librum, cui titulus Hiſpaniæ Bibliotheca, Francofurti anno* 1608. *in* 4. *impreſſum, in quo pag.* 28. *& ſeqq.* Academiæ in Hiſpaniâ ſequentes quoquè recenſentur. Barcinonenſis,

Cæ-

Cæſar Auguſtana, Complutenſis, Compoſtellana, Conimbricenſis, Eborenſis, Gandiana, Granatenſis, Hiſpalenſis, Iletdenſis, Majoricana ſeu Balearica, Murcitana, Onnatenſis, Oſcana, Oſſanenſis, Salmanticenſis, Seguntinenſis, Tarraconenſis, Toletana, & Valentina; quibus & nova illa Mantuæ Carpetanorum addi poteſt. Omnium Salmanticenſis princeps, indicatur. *Merula cap.* 10. viginti duas, *Mainus* ſeptem primarias numerat. Quidam nuper ſcribit, publicas in Hiſpaniâ ſcholas quotannis decies centies mille Florenorum, reditibus annuis frui. De Hiſpaniæ Sanctis, inter quos *S, Cyriacus, Parmenus, Valerius, Optatu, Martialis, Felix, Calpophorus, Marcellus, Probus, Eutychus, Victor, Eulalia, Julia, Sabina, Chriſtina, Turibius, Idelius, Dominicus, vel Domingo Domincanorum patriarcha, Antonius de Padoua, qui anno* 1463. *diem obiit, S. Tereſia, & alii*; ut & de Papis, Cæſaribus, belli Ducibus, & aliis ejuſmodi viris celebribus legantur *Marineus Siculus de rebus Hiſpaniæ lib.* 5. *Damianus à Goes in Hiſpaniæ deſcriptione, Laurentius à Padilla de ſanctis Hiſp. Joh. Marietta in hiſtor. Eccleſiaſt. Paulus Merul. cap.* 10. *Ambroſius de Salazar in Almoneda General. pag.* 68. *ſeqq. Thomas Lan-*

Lanſius in orat. pro Hiſpan. pag. 281. quo in loco etiam Hiſpanorum diſciplinam militarem oculis ſubjicit, & celebres ipſorum duces enarrat. Fuit certe hæc natio quovis tempore rei militaris ſtudioſiſſima, quæ tàm maritimis quàm terreſtribus expeditionibus in Europâ, Aſiâ, Africâ & Americâ celeberrimum ſibi nomen comparavit, quanquam non ſola confecit ingentia bella, quæ geſſit, ſed etiam aliarum nationum, Germanorum præcipuè opera, ſæpiſſimè uſa eſt. Quoniam verò præ cæteris populis Hiſpani ſobrietatem præcipuè colunt, tenui cibò contenti, & lactuca, raphanis, ac fructibus paucaque carne vervecinâ victitantes, in bellorum & obſidionum moleſtiis & laboribus exantlandis omnibus aliis præſtant, quod nec ipſe *Antonius Perez* de ſuis propriis popularibus reticere poteſt, *Tom. 2. epiſt.* 73. dicens: *No ſe ſyllabe, V. S. que la Nation Eſpannola dentre de nu aſſedio es mas paciente de todas, y la que mas reſiſte à la hombre, à la ſed, al trabujo corporal* id eſt, In obſidione Hiſpanica natio patientiſſima præter cæteras famem, ſitim & labores tolerare poteſt. In peditatu Hiſpano illud cumprimis obſervatur. In peregrinis regionibus conſtituti Hiſpani ſummâ concordiâ cum conſpirent, mutuis auxiliis

ſe ipſos non deſtituant, egenos ſummâ benevolentiâ, & liberalitate amplectantur, ac magis præſentium quam futurorum rationem habeant, facili negotio tanta præſtare poſſunt, præſertim quod melancholico temperamento præditi in deliberando, & aliqui aggrediendo tarditate ſummâ utantur, incœptaque ſemel incredibili contentione urgeant, quamvis nonnunquam prudentiâ, & fortitudine, aliiſque rebus deſtituantur. *Boterus, Lanſius lib.* 10. *pag.* 540. *ſeqq.* Hoc etiam maximè Hiſpanis vitio vertitur, quod poſt victoriam partam ſeditionibus omnia turbare & pecuniam poſcere, ac omni humanitate depoſita crudeliſſimis cædibus, rapinis & depopulationibus loca, quorum potiti ſunt, ad vaſtitatem redigere ſoleant. Vide *Thuanum lib.* 55. *hiſt. circà finem* : *Bartholomæum de las Caſas in lib. de perſecut. Indorum* : *à Benza in hiſtor. novi Orbis lib.* 1. *cap.* 23. & *Lanſius pag.* 108. *ſeqq.* Italum Ducem in bellicis expeditionibus ſequentes feliciori ſucceſſu utuntur, & Veneris diem præ aliis fortunatum habent, ſi *Thoma Porcacchi in not. ad Guicciard. lib.* 4. *pag.* 119. *à edit. Tarriſ.* fides habenda eſt. Qui bello nulli interfuit, inter ipſos haud magnæ eſt exiſtimationis, eaque de cau-

ſâ

ſâ otioſi non tolerati in bellum mittuntur cui libentius vacant quam laborando, aut alicui opificio addiſcendo, cum illud dedecori ducant ſibi à Gothis deſcendentibus, ac ſe propterea nobili genere oriundos jactantibus, licet vel regali omnem ipſorum habentiam redimeres, ut ex *Lazari de Tormes vita part.2.cap.7.pag.49. edit. Pariſ. de Anno* 1620. *innotuit.* Vitæ iſtius author ibidem tradit, malle Hiſpanum fame interire, quam ad opificium diſcendum animum appellere, ac fortè alicui addiſcendo deditum tam ægrè ejuſdem cognitione imbui, ut aut illud exercere nequeat tàm perfunctorie opera conficiat, ut vix unus perfectè opificium ſuum callens opifex in Hiſpaniâ reperiri queat, ut apud eum qui *Caroli V.* tempore vixit, legere eſt. Hiſpana quædam mulier mendicando trium liberorum victui & amictui conſulens cuidam Gallo unum ex illis concedere noluit, licet ipſi pollicitus fuerit, quod ſuis ſumptibus eum eductutus, ac poſtea curaturus eſſet, ut alicujus opificii cognitionem conſecutus honeſtè vivere poſſet. Opificii enim alicujus exercitationem, ut vile vivendi genus ſuorum liberorum conditioni, & ſtatui non convenire arbitrabatur. *Joh. Barcl. in icone animor.cap.7.*
pag.

p. 397.*edit. in* 12. *de A.* 1615. Hic Hiſp. contemptus, quo opificia, nobilitate ſuâ indigna, ſuſque deque habent ex Galliæ tractibus Avergnenſi & Limoſinenſi ipſaque Gallia incredibilem hominum copiam in Hiſpaniam allexit. In Navarræ & Arragoniæ regnis omnes ferè vinitores, agricolæ, lapicidæ, veſtiones, ephippiorum confectores, aliique opifices ex Galliâ oriundi ſunt. Viteoribus, Valentia, & Barcelona exceptis, locus in Hiſpania nullus, quia vinum utribus, ſeu coriis porcinis, & caprinis includitur. *Lanſius in orat. contra Hiſpan. pag.* 463. *Campanella de Hiſpanicâ Monarchiâ c.* 10, *pag.* 93. Vitra propter feneſtrarum defectum etiam non uſitata, niſi quæ bibendi cauſa adhibentur. Cultrorum & gladiorum fabri omnium maximè æſtimantur propter enſium bonitatem, quanquam Hiſpani ipſi gladios in Belgio fabrefactos ſuis anteponant. Gladii inſcripti nomine opificis *Hermando Sebaſt Sagun Mor de Zarragoça* rariſſime admodum hodie inveniuntur; inventi autem incredibili precio redimendi. Chirurgus, aut Tonſor, qui non ambi dexter eſt, & pari promptitudine venam ſiniſtrâ aut dextrâ aperire neſcit nullam apud ipſos exiſtimationem invenit. Venas autem Gallo-

rum

rum more aperiunt. Cucurbitalis utentes aſperè ſcindendo ſanguinem eliciunt. Navigationis primam laudem ferunt Biſcajæ & Luſitaniæ gens nautica. Ut autem ad alia porrò deferamur, veſtitus ipſorum uſitatiſſimus ex nigro ſerico conſtat & modeſtus eſt. Ex veſtibus tamen cujuſque conditio, & dignitas dignoſci nequit, cum & ſartores, & ſutores, ac veteramentarii ipſi ſericeo veſtitu ſe exornent. Pannilanei ſericeis præferuntur, ut author noſter N N: nobis indicat. Qui dignitate & conditione cæteris excellunt, equis aut quadrigis vehuntur. Haud eleganter equis inſident, ac plærumque aperto capite equitant. Nobilium fœminæ ſine magno famulorum pompâ & comitatu in publicum non prodeunt, illi antecedunt, hæ ſequuntur, ut *D. T. U. Y. pag.* 146. *& P. Merula cap.* 8. *pag.* 225. teſtantur. Vide *Lanſium pag.* 492. *& Clenard. Epiſt. lib.* 1. *ad Latonum.* Ædes ipſorum ſordibus haud carent, latrinæque in Hiſpaniâ totâ admodum infrequentes occurrunt, vicem earum obeuntibus ollis, quæ excrementis receptis plene onus fœtidum in plateas & vias publicas ejiciunt poſtea prætereuntium nares putido fœtore feriens, quo vitio ipſa Mantua Carpetanorum, regia tanti Monarchæ

ſedes

des laborat. Ruri, & in civitatibus à maris littore remotoribus ædificia occurrunt deformia, & cretacea: in quorum conſtructione non ornatus, ſed tempeſtatis, & caloris ratio potiſſima habita fuit. Feneſtræ paſſim non vitreæ, ſed ligneæ, in Luſitaniâ vero in Cameris nullæ. Cum culinis & ciborum apparatibus haud benè comparatum eſt. In plæriſque verò civitatibus poſadam ſive hoſpitium ſine Judicis venia & conſenſu ingredi non licet. Moleſtius autem nihil accidit viatoribus, quod Hiſpaniæ hoſpitia deſint ac idcirco loci alicujus plateæ percurrendæ, & neceſſaria hinc inde comparanda. In Hoſpitio enim præter vaſa, mappam, oleum, ſal, & acetum nihil aliud hoſpitibus ſubminiſtratur: cætera undiquè conquirenda. In campis & agris ſolitariæ ſe offerunt cauponæ; Ventus nuncupant Hiſpani. In his ſæpè nec potus nec cibus in promptu jejunos hoſpites cubitum dimittit, niſi commentum ſecum abtulerint. Inveniuntur Caupones, qui hoſpitibus equinam carnem apponunt, quod *Joh. de Luna in dialogo 9.pag* 411. non diffitetur. Electori Palatino *Friderico II.* in Venta Ervella, vel Evoella undecim Ubeda milliaribus diſſito hoſpitio anno 1526. aſinina pro ferina appoſita,
vi-

vinumque in palude hydris abundante refrigeratum eſt, ut *Thomas Leodius in dicti Principis vitâ* commemorat. Diverſoriorum in Hiſpaniâ deſcriptionem accuratam quære apud *Lanſium pag.* 458. *ſeqq.* qui *pag.* 502. etiam taxat impudicitiam & libidinem, quâ Hiſpani laudi ſuæ & nominis famæ maculam & infamiæ labem aſpergere ſolent. Sodomiam tamen exercentes, *authore noſtro N N:* teſte, igni cremantur, ea ipſa cauſa eſt, cur in Hiſpaniâ ſuo proprio lecto, cuique ſoli utendum, & non cum alio cubandum ſit. Ac quanquam præcedentes Reges lupanaria certis forſan de cauſis, in urbibus non vetuerunt, Rex *Philippus IV.* tamen Februario menſe anno 1625. legem tulit, ut omnes nuptias celebrantes poſt primum nuptiarum diem quadriennio toto ab omnibus vectigalibus, tributis, & aliis ejuſmodi oneribus immunes eſſent, qui ante decimum octavum ætatis annum uxorem ducerent, mox ſua & uxoris bona adminiſtrarent, & contra, qui poſt 25. ætatis annum matrimonium inirent, horum privilegiorum uſu caverent: qui etiam ex uxore 6. filios ſuſcepiſſet & una vivos habuiſſet, quamvis unus poſtea ex illis mortuus eſſet, toto tamen vitæ tempore iiſdem immu-

munitatibus frueretur. Porrò inopiâ laborantibus, & matrimonium tamen ineuntibus certa pecunia dotis loco deſtinata eſt. Rex etiam omnes peregrinos & exteros opifices, ac agricolas reique pecuariæ deditos ab omnibus tributis, vectigalibus, & oneribus ſemel & ſemper immunes eſſe juſſit: quod ideò fecit, ut peregrinos alliceret, & regnum populoſius redderet. Johannes de Laet *in Deſcript. Hiſp. cap. 4 circa finem. Author noſter NN*: tradit, quod Septimana paſchatos feſtum antecedente in publicis lupanaribus cóncio habeatur, & corpus ſuum proſtituentes mulieres ad pœnitentiam excitentur: ad pœnitentiam & frugem ſe recipientibus in proceſſione fax tradatur, & Mariæ imago præferatur: poſt pœnitentiam actam in cœnobium, ad poſtea in urbem *S. Lucar*, aut alia loca mittantur, & nuptum elocentur: imo Granad. miſſæ iterum adeò honeſtæ judicentur, ac ſi nunquam corpus polluiſſent. Alia plura quoque de ipſis, & concubinis, ac duabus cubilium januis ſcribit, & refert. Si conſcio marito uxor cum alio rem habeat, nec ea de cauſâ ab ipſo puniatur, ipſa vero maritum deferat, quod lucro corpore ſuo facto maritus ſibi alendus eſſet, quod mariti pileo cornua affigantur, col-

lo ſuſtis appendatur, & ipſe ab uxore, uxor vero à carnifice virgis cædatur. Sin verò maritus uxorem in adulterio deprehendat, quod eam impunè ipſi occidere liceat. Omni genere fucorum & pigmentorum ſequior ſexus pulchritudinem ſibi conciliare ſtudet. In Biſcajâ puellæ nudis capitibus & ſine cincinnis in ſpiras ductis incedunt, nec ulli licet comam longam alere, aut vela caput obducere, antequam nupta fuerit. *Lucius Nonius in Hiſp. cap.* 79. **Johannes de Laet** *pag.* 43. Fœmininus ſexus in Hiſpaniâ non admodum fertilis eſt, quanquam à vino penitus abſtinet. Curribus plærumque mulieres vehuntur, aut calceis altioribus Chopines vocant, indutæ, & humeris ſervi alicujus innixæ incedunt. Sericeis velamentis faciem & caput tegunt. Valentiæ urbis fœminæ cæteris omnibus pulchritudinis famâ anteſtare dicunt. *Antonius Perez tom.* 1. *ep.* 67. Toledanis fœminis pulchritudinis palmam defert, & inſignem prudentiam adſcribit.

Quantum porrò ad peculiaria quædam Hiſpaniæ ſtatuta & leges, ac ritus attinet: primò nonniſi ſummâ reverentiâ & cautione de Inquiſitione, Papâ, & Rege loqui licitum eſt. 2. Aurum, mauros, equos & aſinos ex regno educere prohibetur. Vectiga-

ctigali ſoluto merces cæteras exportare conceditur. Novas res neque importare neque exportare quis audebit, & novum induſium ſi penes ſe habuerit, prius aquæ immergat neceſſe eſt, antequam illud in regionem inferat. 3. In Regnorum Hiſp. finibus pecuniam quam quiſq; ſecum fert, manifeſtet, & certam pro ſingulis coronatorum centenis ſummam pendat oportet. Præterea in urbium portis, ac poſtea in pagis aliquoties novis inveſtigationibus & excuſſionibus expoſitus eſt, quas ſæpius munuſculis datis declinare poteſt. Quidam ex iſtis excubitoribus & exploratoribus regis quidam civitatis miniſtros profitentur. Ex Murciæ Regno in Valenciæ regnum nonniſi decem Regalem ſecum transferre uni homini integrum eſt. Trangreſſor legis conſtitutos nummos ſuperantis pecuniæ jactura mulctatur, cujus una pars ad Regem, altera ad loci magiſtratum, & tertia ad excubitores pertinet. 4. Rationum tabulas mercatores Hiſpanicâ ſolâ & non aliâ linguâ conſcribere oportet. 5. Omnes Hiſpani mercatores in Valentiæ regno; & urbe Alicante, aliiſque in locis de decem regalibus quatuor denarios ſolvunt. 6. Peregrino in regione aliquâ Hiſpanicâ diem obeunte, loci magiſtratus bona relicta cu-

ſtodit,& in locum, unde oriundus,litteras mittit. ſuos de obitu ejus certiores reddens. Hæredi teſtimoniis juſtis inſtructo hæreditas ſine ullâ morâ & negatione traditur. Hærede nullo adventante, aut exiſtente, fratres della Nueſtra Sennora della merced, vel miſericordiæ, hæreditatem adeunt, & captivis liberandis impendent, quod miſericordiæ opus laude digniſſimum eſt. 7. Ultra diem aut noctem peregrinæ alicui mulieri in diverſorio mora nulla permittitur. 8. Dominus ut ſervum fuſte feriat, aut colapho puniat, nefas eſt: quominus tamen ipſum pœnam meritum pugione & gladio excipiat, nullâ lege prohibetur. Ac cum cæteris cunctis debitorum cauſa nobili alicui arma & equum adimere non permittatur, idem tamen ſoli miniſtro, cui ſtipendium ſolutum non eſt, facere conceditur. Si Dominus, ideo ad judicem delatus, poſt delationem viginti quatuor horarum ſpacio non ſatisfaciat, pro ſingulis centenis florenis Judici decem pendere cogitur. Juſtitiæ enim cultores ſeveri ſunt Hiſpani. & ſummos atque imos æquo Jure cenſentes neminem, qui leges tranſgreſſus, aut aliquem ex populo læſit, impunitum dimittunt, ut *Mariana lib.* 1. *c.* 6. *rer. Hiſp.* narrat. In Aragoniâ debitorum

rum cauſa neminem comprehendere licet, quamdiu in umbra eſt; eâ de cauſâ alieno ære obruti interdiu in templis commorantur. 10. Mineralia & metalla quærere capitale eſt. 11. Nullus qui peregrinantes hoſpitio excipit in urbibus, vinum aut cibos quos vis vendere audet, cum vetitum ſit. Nam hâc ratione alii etiam quærendi & victitandi vias ac rationes habere poſſunt. 12. Lege quoque cautum eſt, nequis oleas comburat. 13. Cultrum, niſi in gladii vaginâ, ſecum qui fert, punitur, quod peregrinis præcipuè eſt obſervandum. 14. Homicidam in aliud regnum fuga elapſum nemo in vincula conjicere audebit. Talis etjam intra templum & catenas evadens, & ab omni comprehenſione liber à monachis ex cœnobio aut templo egredientibus & crucem ipſi præferentibus in templum aut monaſterium introducitur. 15. Publici graſſatores, & viarum depopulatores, qui vias latrocinando infeſtant, ſagittis confodiuntur. 16. Ex geminis natis major natu judicatur, non qui prior, ſed poſterior in lucem prodit: duorum lapidum exemplo ſententiam hanc ſuam ſtabiliunt, dicentes, poſterius effoſum lapidem diutius, & prius in fodinâ fuiſſe illo, qui prior erutus erat. De his & aliis

ſimilibus prolixius *author noſter N N*: tractat. Cætera omnis generis ſtatuta, & ritus concernentia ex iis quæ ſequuntur, cognoſci poſſunt. Prætereà etiam legendus **Johannes de Laet** *in deſcriptione Hiſpaniæ ex Marianâ, Botero, Bodino, Thuano, Coneſtagio, Barclaio & Guicciardino de Hiſpanorum ingeniis & moribus collecta*, in cujus *cap.* 5. de diverſis ſtatutis & conſuetudinibus agitur, & *pag.* 487. Hiſpanas leges comprehendens liber Partida appellatur.

9. Ad Hiſpaniæ ſtatus & ordines pergendum, Primas tenet Eccleſiaſticus, qui hodierno tempore frequens, olim tamen majori frequentiâ hominum abundaſſe fertur. *In Lazarilli de Tormes Hiſp. illius vita hiſpanice edita, part.* 2. *c.* 7 *p.* 75. legitur; Franciſcan. Generalem *Cæſari Carolo V.* millia viginti duo monachorum nec plures quadraginta, nec pauciores viginti duobus ætatis annos habentium ad bellum obtuliſſe, & hoc reſponſi accepiſſe à Cæſare dicente; Sibi non opus eſſe talibus militibus, ad quorum ſuſtentationem quotidie viginti duabus ollis cibo neceſſario repletis opus foret. Poſſunt Eccleſiaſticæ conditionis homines in parvos, majores, & maximos, ſive viliores, digniores & digniſſimos dividi. Inter vilio-

liores ſunt Monachi & Sacerdotes. Mendicantes Monachi eleemoſynâ vivunt; In hâc erogandâ certatim Hiſpani liberalitatem ſuam oſtentant, & cavent, ne qua hæreſios ſuſpicio de ipſis oriri poſſit. Mendici autem tales urbem percurrentes, & patinam, cui alicujus Sancti aut Sanctæ imago impoſita eſt, manu tenentes, ejus nomine eleemoſynam petunt, & plærumque verba hæc addunt, *por amor de la Madre de Dios*, id eſt, propter matrem Dei. Etiam in compitis viis, ac tranſitibus viri & fœminæ hujus aut illius Sancti nomine ſtipem colligunt. Cæteri Monachi in Cœnobiis à ſuis Abbatibus ſuſtentantur. Ex iis Franciſcani reverentia ſingulari coluntur, utpote qui eleemoſynas liberali manu diſtribuunt, & ægros haud gravatè inviſunt. Eos ſequuntur & odio inveterato proſequuntur Dominicani, è quibus ſemper pater aliquis Confeſſarius Regi inſervit. Franciſcani autem Reginæ ſemper è ſuis aliquem ejuſmodi patrem confeſſarium ſubminiſtrant, ut *Aubertus Miræus in anno* 1379. *Chronic. ſuorum* obſervat. Scatet Hiſpania cœnobiorum ordini *S. Hieronymi* fratribus habitationes præbentium. Capucinorum ordo haud magni fit. Jeſuitæ ob Judæorum converſionem in Luſitaniâ Apoſtoli,

in reliquâ Hiſpaniâ Theatini nuncupantur. Theatinorum peculiaris ordo eſt in Italiâ, confirmatus anno 1524. à Papâ *Clemente VII.* ut *Aubertus Miræus in Chronico* ſuo docet. Sed uterque Jeſuitarum & Theatinorum ordo in Hiſpaniâ unus eſt, ut *Ribadineira in Ignatii Lojolæ vita lib. 2, cap. 6.* monet. Collegia æquè ſumptuoſa & ſplendida, ac in Germaniæ regionibus Catholicis, ipſis extruere non licet, quamvis jam majori quam antehâc reverentia coli incipiant, & Mantuæ Carpetanorum propriam Academiam habeant. Opibus & divitiis maximis affluunt. Hi ſunt in Eccleſiaſtico ſtatu minimi: Majoris dignitatis ſunt Abbates, præſules, antiſtites, commendatores, & alii, quorum collationem ſeu conſtitutionem Rex ſibi propriam ſervat. Abbatiæ paſſim ſunt opulentæ, qualis Abbatia Montarragoni in Aragoniæ regno, ſingulis annis duodecim ducatorum millibus fruens In urbe Burgos monaſterium eſt centum & quinquaginta nobiles virgines alens, cujus Abbatiſſæ 24. inſignia municipia, & 50. pagi parent. Præſul templi *S. Juan* in urbe Leon triginta, alter templi *S. Marci* ibidem decem, & qui Cœnobio *S. Jacobi* in Urbe Velez præeſt, ibidem triginta, ac templi *S. Ja-*

cobi

cobi in urbe Seviliâ antiſtes quatuordecim, ut & ille, cujus curæ templum *S. Juan de Catalonna* commiſſum eſt, duodecim ducâtorum millibis annuos ſuos reditus definiunt. Contra tamen Regi magnam pecuniæ ſummam, ipſis vero ſacerdotes, & regulares de ſuis annuis proventibus decimas largiri coguntur. Ab expeditionibus bellicis ut immunes ſint, certa quoque ſumma pecuniæ Regi numeranda ipſis redimendum eſt. Quia etjam Hiſpania ingenti cœnobiorum numero, Rex autem grandibus impenſis oneratus eſt, eodem *authore N N*: indicante, monachorum numerus in cœnobiis diminutus, & haud pauci in Italiam, & alia loca miſſi ſunt, ut ibidem commodius alerentur. Neceſſitate poſtulante Rex etiam *Eccleſiaſtica* bona in uſum ſuum convertere poteſt, ut ex eodem authore diſcimus. Quantum Comandas, id eſt commendatorum ordines, ut vocant, attinet, eorum plures in Hiſpannâ reperiuntur, omnes tamen à tribus iſtis ordinibus equeſtribus, *S. Jacobi* nimirum, Calatravæ, & Alcantaræ derivati. Alii tamen etiam numerantur Ordines, ut Monteſiorum in Aragoniâ, & quatuor in Luſitaniâ, ubi ſunt Aurati equites *S. Johannis, Chriſti, Aviſi vel S. Benedicti, & S. Jacobi*: de

quibus *Boterus*, *Coneſtagius*, *Mariana*, *Nicolaus Oliveira*, & *Franciſci Menenii deliciæ equeſtrium ſive militarium Ordinum ut* & *Auberti Miræi Origines Ordinum militarium* conſulendi ſunt. Hîc enim horum Ordinum initia, progreſſus, ſtatuta, inſignia, veſtitus, reditus, aliaque multa ad eos pertinentia prolixâ narratione inculcare nimis longum foret, & ab inſtituto noſtro alienum. Lectoris deſiderio ſatisfacient citati authores. Satisfacient quoquè *Ambroſius de Salazar*, *Hiſpanus*, & *D. T. U. T. Gallus*, qui prolixis narrationibus cuncta iſta divulgarunt. Supremus omnium iſtorum Ordinum Magiſter jam eſt ipſe Rex Hiſpaniæ. Nam cum Granada occupata, & Maurorum imperio in Hiſpaniâ finito, ab hoſtibus timor amplius nullus immineret; *Ferdinandus* autem Rex cum uxore Iſabellâ ægrè pati poſſet, ut magni horum Ordinum Magiſtri ſuperiorem nullum agnoſcente ob potentiam & authoritatem nimiam timendi eſſent, ne nova bella ſuſcitarent, quod anteà ſæpe fecerant, Reges a Papâ *Innocentio VIII.* impetrarunt, ut abrogatis Magiſtris illis ſibi Ordinum iſtorum adminiſtratio & rectio traderetur. *Mariana de rebus Hiſp. lib.* 26. *cap.* 5. Poſtea Papa *Hadriano VI.* Cæſari

Ca-

Carolo V. & ſucceſſoribus Regibus Hiſpanis hoc etiam indulſit, ut Hiſpanorum Epiſcoporum collatores, & Ordinum illorum equeſtrium perpetui adminiſtratores eſſent. Alios tamen in locum ſuum ſubſtituere Reges ſolent, Commendatores Majores appellatos, & aliis minoribus aliquot imperantes, proventuque aliquot millium ducatorum annuo gaudentes. Hi inter ſummos & imos Eccleſiaſticos medii ſunt, Supremum locum obtinent Archiepiſcopi & Epiſcopi, lautiſſimis quidem proventibus annuis ditati, ſed Regi etiam multis largitionibus obnoxii. Summus omnium Archiepiſcopus Toledanus, Hiſpaniæ Primas, quo titulo etjam Bracæ in Luſitaniâ Epiſcopus utitur. Magnus Caſtiliæ Cancellarius, & Inquiſitor generalis *ſecundus* eſt à Rege, & maximum quotannis proventum habet. Ducentenis Ducatorum millibus eum *Marinæus* & *Merula* circumſcribunt. *Nonius* pluſquam Ducentenis millibus, *Boterus* vero & *Neumayerus* trecentenis coronatorum millibus eundem, & Capituli proventum totidem millibus definit. Dignitas hæc plærumque Regum fratribus, aut proximis cognatis confertur. Parent ipſi octo Epiſcopi magnis proventibus ditati, & inter eos Cordubenſis, cui

& civilis Juriſdictio in ſeptendecim clauſas civitates competere ajunt. Quomodo cum aliis Archiepiſcopis, Hiſpalenſi, ſcilicet, Compoſtellenſi, Granadenſi, Valencienſi & Saragoſenſi, quibus nonnulli Burgos urbis Archiepiſcopum, ab aliis inter Epiſcopos numeratum, annumerant, comparatum ſit, innoteſcet legentibus *Marinæum*, *Vaſæum*, *Nonium*, *Boterum*, *Damianum à Goes*, *Aubertum Miræum in notitiâ Epiſcopatuum*, *D. T. U. T. Salazarium*, Joh. de Laet / & *Munſteri Coſmographiam lib. 1. cap. 30. fol. 101. ſeq. edit. ult.* ubi quoque mentio fit de tribus Luſitaniæ Epiſcopatibus Ulyſſiponenſi, Bracenſi, & Eborenſi, quorum obedientiæ diverſi alii Epiſcopatus obnoxii ſunt; de duobus item Hiſpaniæ Epiſcopatibus Legionenſi, & Oviedenſi, qui ab Archiepiſcoporum imperio immunes ſunt. Qui porrò de dictis Epiſcopis & Præſulibus aliquid cognoſcendi cupidus fuerit, is adire poterit 20. *cap. Chron. Joh. Vaſæi & Eccleſiaſticam Joh. Mariettæ hiſtoriam*. De Hiſpanicæ & Luſitaniæ Academiis ſuperius nonnulla attulimus. De Eccleſiaſtico ſtatu tantum eſt. De hoc apud *Laetium pag.* 360 *ſcribit Damianus à Goes*, eum ſingulis annis quatuor millionum Ducatorum proven-

tu

tu gaudere, præter illum, quo ingentem etiam pecuniam conficiente, dictæ Commendatariæ cum Magiſtris ſuis quovis anno fruuntur. Unde *Hieronymus de Cevallos* apud eundem *Laetium*; Si, inquit, omnium poſſeſſionum Eccleſiaſticarum, quæ ad Eccleſiaſticum ſtatum hodie pertinent, ratio ineunda eſſet, re ipsâ compertum haberetur, quod ſæcularium reditus & facultates Eccleſiaſticis neutiquam reſpondeant.

10. Eccleſiaſtico ſtatui proximus eſt Nobilium Ordo, qui ut in aliis locis, ità & in Hiſpaniâ gradibus ſuis diſtinguitur. Principio ſe offerunt Nobiles vulgares Gentil hombres nominati, qui non multum abludunt ab iis in Germaniâ, qui ob inſignia communia *Wapens genoſſen* appellantur. Vox *hidalgos* ejuſdem cum *hijos dalgados* ſignificationis, Gothorum filios denotat, (nam à Gothis originem Hiſpani repetunt) & iis tribuitur, qui dignitate vulgares homines antecedunt: *Limnæus de jure publ. lib.* 6. *cap.* 1. *n.* 7. Vulgarem Nobilitatem ſequuntur Feudorum poſſeſſores, & cæteri equites aurati, qui *Cavalleros* nuncupantur. Bona ſua clientelari jure poſſidentes ab oneribus vulgo, & civibus urbium quovis anno impoſitis immunes ſunt; Majorem & mi-

norem juriſdictionem exercent, non tamen omnes; Debitorum cauſa arma & equi ipſis adimi non poſſunt. Liberi Barones, quos Varones Hiſpani appellitant voce Vizcondes procul dubio comprehenduntur. Nam *author noſter N N*: in itinere per Hiſpaniam illorum mentionem ullam factam eſſe non meminit. Vice comitibus (Vizcondes) quales ſunt *de Peralta*, *de Colica*, *d'Ebuli*, Comites ſunt proximi, quos Marchiones excipiunt. His tandem Duces (Duques) ſuccedunt, peculiares provincias poſſidentes, & ſucceſſoribus filiis eas mortui relinquentes, qui tamen ante vigeſimum quintum annum nonniſi dimidia aut tertia proventuũ parte contenti eſſe debent. In civitatibus quidem palatia, ſed non publicas aulas habent, quod ſibi ſoli Rex ſervat. Plærunque conſiliorum Regiorum præſides ſunt, ut ipſis inconſultis & invitis nihil decernatur. Ante Regem *Henricum II.* qui anno 1369. Regnis Caſtiliæ & Legionis præeſſe incepit, Comitatus, Marchionatus, & Ducatus Hiſpaniæ in libros hæreditario jure non tranſferebantur. Ipſe primis Comites inſtituit. Inſpice librum. *Alonſi de Haros cui titulus*, *Genealogico de los Reyes*, *y titulos de Eſpanna*, & Johannes de Laet

de-

deſcriptionem Hiſpaniæ. Hiſpaniæ Magnates, penes quos maxima poſt Regem poteſtas, *Los Grandes* audiunt. In Regis præſentiâ caput operiunt, eorumque uxores à Reginâ ſalutatione honorabili exceptæ juxta eam pulvinaribus inſident. His Magnatibus miniſtri genua flectentes miniſtrant. Sunt aut dignitatis tantæ, ut ex ipſis Aurei Velleris Equites, quibus Rex feſto *S. Andreæ* ſolemnitatis cauſa aliquid confert. Equis quatuor jûnctis curribus, & quidem duobus, ut exterum Principum Legati, vehuntur. Rex ipſe ſolus ſex equos currui ſuo jungit; quod Rex *Philippus III.* etiam *Duci de Lerma* conceſſerat. Quo tempore *author noſter N N*:in Hiſpaniâ fuit, curru cum filiis vehebatur, cui ſex aſini juncti fuerant.

11. Cum Nobilium hic mentio facta ſit, præcipuis eorum ſtirpes hic recenſere operæ pretium duxi. Dominorum *de Velaſco* proſapia inter Hiſpanicas Nobilium ſtirpes authoritate, antiquitate, & celebritate vix ulli alii concedit, utpote quæ plures Regno Caſtiliæ Condeſtables ut vocant, electione ſubminiſtravit. Rex *Johannes II. Petrum Hernandez de Velaſco* anno 1407. Comitem creavit. Hujus nepos *Bernardius de Velaſco* primus *Dux de Frias* fuit. Eorum poſſeſſiones

in

in Biſcajâ, & vicinis regionibus montanis inveniuntur 2. Familia *Nobilium de Mendoza* ſuccedit, ex quâ oriundus *Dux de Infantadgo*, qui palatium Gadajalaræ, & bona ſive regionem ſuam in Veteri Caſtiliâ, Tolidano agro, & regiuncula Alva habens centum mille ducatorum proventu annuo ditatus eſſe fertur. Regis *Ferdinandi* Catholici tempore dignitas hæc collata eſt huic familiæ, ex quâ quoque prodierunt *Dux de Francavilla, Marchiones de Montes claros, de Mondexar vel Mondeyar, de Cannete*; & *Comites de Combrade, Monteagudo, Orgas, Caſtro, & Corunna.* 3. Inter præcipuas quoque familias eſt illa *de Enriques*, magni nominis in Caſtiliæ regno, ſtirpi Regiæ Caſtellanæ originem acceptum ferens, ex quâ ortum duxêre, *Dux de Medina del Rio ſecco* Valdoledi palatium, & in Cataloniâ ac Siciliâ regionem ſuam & centum mille ducatorum reditus annuos poſſidens. Et *Dux de Alcala* aliique Marchiones, & Comites plures, ex quibus fuit *Petrus Enriques, Comes de Fuentes.* Stemma nobilium *de Cerda* à duabus familiis Regiis, Caſtiliæ nimrium, & quidem *Alphonſo X.* ut *V. Franciſcus Tarapha de Regibus Hiſpaniæ in ejuſdem vita* teſtatur, ac Galliæ deſcendit. Ad illud

ortum ſuum refert *Dux de Medina Celi*, cujus palatium ibidem cernitur, & proventus annui quadraginta mille ducati æſtimantur. 5. Nobilis proſapia *de Manriques*, è quâ genus repetunt *Dux de Naſera, Marchio de Aguilar, Comes de Oſorno, & Comes de Paredes.* 6. *De Cardona*, qui nobiles ex Andaluziâ à *Ferdinando Nunez*, & *Alvaro Perez* genus ſuum ducunt. Hujus familiæ eſt *Dux de Seſa*, ſeptuaginta mille ducatorum annuo proventu opulentis; ut & *Dux de Cardona*, & *Comes de Alcandere*. 7. *De Toledo*, quod ſtemma Græcos Imperatores originis ſuæ authores profitetur, & edidit. *Duces de Alva* & *Hueſca*, *Marchionem de Villa Franca*, & *Comites de Atamira*, *de Ayalan*, ac alios plures. 8. *De Zunniga*, quæ familia Regibus Navarræ ortum debens celebris eſt *Duce de Vejar*, *Marchionibus de Ayamonte*, *& villa Manrique*, *Comite de Miranda*, & aliis. 9. *De Borias* cui celebritatem haud exiguam conciliarunt *Dux de Gandia* in regno Valentiæ, & *Marchio de Navares*, 10. *Guſmanorum* ſtirps præcipuæ in regno Caſtilia notæ, à Gothis initium ſuum petens, ex quâ originem ceperunt. *S. Dominicus*, *Alfonſus Pereſius Guſmannus*, qui, Caſtellam regente Rege *Sanctio*, cir-

circa annum, à Chriſto nato 1293. vixit, de quo *Mariana lib.* 14. *de reb. Hiſpan. cap.* 19. *Lipſius in monitis polit. lib.* 1. *cap.* 7. *Lanſius in orat. pro Hiſp. pag.* 279. *edit.* 3. & 12. *Hiſtoria mei Theatri Tragici pag.* 413. *edit. ult. de anno* 1634. legi poſſunt. Huic proſapiæ quoquè annumerantur *Dux de Medina Sidonia*, vel *Methymna Sidonia*; *Marchio de S. Lucar de Barrameda*, & *Comes de Niebla* in urbe S. Lucar habitans, in Seviliæ regno ditionem ſuam poſſidens, & centum & triginta mille ducatorum proventu annuo dives. Author noſter de dicto Duce memoriæ prodit, quod ſingulis annis à Rege petere ſoleat, ut in futurâ ſucceſſione ſui meminiſſe velit: & Rex ipſi reſpondeat, hâc de re videbimus, quid factu opus ſit. Sunt & alii quoque hujus ſtirpis, ut *Marchio de Ardales* & de *Algava*, ac *Comes Olivares*, qui à Rege preſente ad ſummum dignitatis gradum evectus eſt. 11. *De Cardonas*, cujus ſtirpis poſſeſſiones in Cataloniâ, Toledanâ regione, & Eſtremadurâ ſitæ ſunt, origo autem à familiâ *Ducum de Anjou* in Galliâ derivatur. In ea ſunt *Duces de Feria*, & *de Maqueda*, ac *Marchiones de Beteta*, & *Priego*. 12 *De Figueroas* in Gallicià, ex quâ familiâ *Ducem de Feria Salazarius* oriundum aſ-

ſerit,

ſerit, nos autem cum aliis ad familiam *de Cardonas*, modo retulimus. 13. *De Cueva*, cujus caput *Dux de Alburquerque*, quadraginta ſex mille ducatis annuum proventum numerans. Ex eâdem quoque familiâ *Marchio de Ladrada* eſſe fertur. 14. Illuſtre & vetuſtum genus *Pachecorum de Pacheco* in Luſitaniâ, cujus membrum *Dux d'Eſcalonia* centum mille ducatorum reditu annuo fruens. 15. *Gironum de Giron*, ex quo antiquiſſimæ originis, *Dux de Oſſuna*, ortus in Pennafiel domicilium, & in regnis Seviliæ & Caſtellæ centum mille ducatorum proventus poſſidet. 16. *Los ponces de Leon*, vel proſapia *Ponce de Leon* admodum vetus, potens, & facinoribus maximè ſtrenuis in Sarracenos inſigniter nobilis, à quâ deſcendunt *Dux de Arcos* Hiſpali ſedem, & in Andaluſiâ reditus ſuos obtinens, ac *Comes de Beylem*. 17. *Aragonum* ſtirps ab Aragoniæ Regibus deducta, & nobilitata *Duce de Villa Hermoſa*, cui Saragoſæ palatium eſt. 18. *Nobles de Silvas* Luſitani ſunt, & ſui generis oſtentant *Ducem de Paſtrana* Mantuæ Carpetanorum commorantem, & ſexaginta mille ducatos ſingulis annis ex fortunarum ſuarum proventu capientem: Præter hunc etiam *Marchione de Monte*

ma-

mayor, & *Comitem de Ciſuentes.* 16. *Nobile Genus Oſoriorum de Villalabos & Oſorio* inſigne eſt *Marchione de Aſtorga*, & *Comitibus de Traſtamara*, & *Santa Maria ac de Oſorio.* 20. *Illuſtre genus de Rojas vel Roxas* in Caſtiliâ celebre reddunt *Marchio de Poza*; *Marchio de Denia ac Lermæ Comes*; *Marchio de Altamires*; & *Comes de Mora.* Rex *Philippus III. Franciſco de Sondaval* matrimonii occaſione titulum de *Roxas* conceſſit, eumque *Ducem de Lerma*, filiumque ejus *Ducem de Uſeda* hujuſque filium *Ducem de Cea* creavit. Sed *Dux de Uzeda*, vel *Ubeda* ut alii nominant, à *Philippo IV.* omnibus dignitatibus privatus eſt, Joh. de Laet *pag* 374. 21. In familia *Nobilium de Caſtro* eminet *Marchio de Sarria* in Galliciâ, qui ſexaginta mille ducatorum impenſis annuis vivere poteſt. 22. Ex *Nobilium de Riberas* Stirpe oriundo *Duci de Alcala de Gonzales* annui proventus octoginta mille ducatos offerunt. 23. Familiam *Nobilium de Pimenteles Comes de Benevente*, & *Marchio de Viana* illuſtrant. 24. Illam *de Haro Marchio de Carpo* nobilitat. 25 Illa *de Avila* à Comite *Bloſio* ſub *Alfonſo VIII.* in Caſtiliâ regnante militaribus facinoribus eximiis in Mauros famoſo derivatur, &

illu-

illuſtris exiſtit, *Marchione de las Navas*, & *Marchionibus de Peſcara*, & *de Baſto* in Regno Neapolitano, quos *Salazarius* inter eos *d'Avila*, & *d'Avales* diſtinguens deducit. 26. *De Cortes*, cui aſcribitur *Marchio del Valle* in novæ Hiſpaniæ urbe Mexico habitans, centum quinquaginta mille ducatos quotannis ex fortunarum proventu colligens. 27. *Nobiles de Peraltas* regiâ Navarræorum ſtirpe prognati *Marchione de Falſas* in Navarræ regno innotuerunt. 28 Ex *familiâ de Aguilar* ortum habet *Marchio de Aguilar*, qui *Marchio quoque de Pliego* etiam ad familiam *Enriques de Lera* referri dicitur. 24. *Los Fajordos*, cum *Marchione de Velez* proſapia quoque celebris; 30. ut & *Los Viamontes* in Navarræ Regno. 31. Sicuti etiam *Porto Carrero* cum *Marchionibus ſuis de Alcala del Almeda*; de *Villa nueva del Freſno*, aut *de Barca rota*, ſecundum *Salazarium*; & *Comitibus de Medellin*, ac *Palma de Miceridio*. 32. *Familia de Baçan* gloriatur de *Comite de Santa cruz*, vel *Santa Croce* ex poſſeſſionibus in Navarræ regno proventus annuos colligente. 33. *De Herreras Marchione d'Aunon*. 34. *De Cardenas* in Caſtellæ regno *Comite de Puebla* illuſtris evaſit. 35. Ex ſtirpe *nobilium*

Los

Los Acunas Comiti de Buendia. 34. Ex *Zapatarum* genus à Rege Aragoniæ *Abarca* ducentium familia *Comiti de Barajas* origo petitur. 35. *Los Heridias* proſapia, ut *Salazarius* vult, *Comiti de Fuentes* Mediolani Gubernatori, qui anno 1610. vita exivit originem contulit. Hunc cum aliis ex *Familiâ d'Enriques* paulo ſuprà deduximus. Hujus proſapiæ *Los Heridias* à Gothis Pyrenæos montes olim incolentibus principium *Salazarius* ſumit. 38. Progenies *Nobiles de Sarmiento Comites de Salinas, de Ribadeo, de Salvatierra*, & *de Gondamar.* 39. *de Guevara*, ex Cantabriâ *Comitem d'Onnate vel d'Ognate*, in Guipuſcoâ proventus ſuos annuos habentem, 40. *d'Ayala*, quæ veteribus Aragoniæ Regibus ortum attribuit, *Comites de Gomera*, *& Fuenſalida*, 41. *Los Quinnones Comitem de Luna*, in Legionis regno jactat. 42. In *familia Nobili de Azevedo* primas tenet *Emmanuel d'Azevedo, & Zuniga, comes de Monterey*, &(forſam matrimonii occaſione) *Fuentes*, qui in aula Regia authoritate & dignitate ſumma pollet. 43. Proſapia *Los Lunas* celebrem famam conſecuta eſt *Comite de Morata* in Aragoniâ, & *Alvaro de Luna* miram fortunæ inconſtantiam experto. *Mariana lib.* 20.
cap.

*cap.*15. & 16. & *lib.* 22.*cap.* 12. & 13. *de reb. Hiſpanicis.* 44. Stirps nobilium *Los Mexias Marchionem de la Guardia* & *Comitem de S. Euphemia* inter ſuos numerat. Porrò ſunt Familiæ Nobiles, 45. *Ulloas* in Caſtellæ, 46. *Avallanos* in Navarræ Regno, 47. *Benavides*, 48. *Avellanedas*, 49. *Carillos* & 50. *Saavedras*, ex quorum numero *Comes de Caſtellar.* Præter has aliæ quoque ſunt familiæ, nempe *de Caſtilla*, *de Granada*, *Manuel* (omnes tres Regiæ originis); *de Touar*, *Chacon*, *Leyva*, (ex quâ princeps d'Aſculi) *Nimnos*, *Solis*, *Vera*, *Vanega*, *Fonſeca*, *Valdes*, *Maldonado*, *Quixada*, *Vargas*, *Vega*, *Sottomayor*, *Porro*, *Queſada*, *Ovando*, pluresque in Luſitaniâ Regii ſanguinis (ut *Marchio de Gelues*,) &c. de quibus legantur *Ambroſius de Salazar in ſuo Inventario vel Almonedà generalà* 105. *uſque ad pag.* 142. *Conſalvus Argoti*, *Molina libro de nobilitate Hiſpaniæ*; *Alonſo Lopes Nobiliario Genealogico de los Reys y titulos d' Eſpanna: A. B. Peregrinus in Bibliothecâ Hiſpanicâ*, Johannes de Laet *de Regis Hiſpaniæ Regnis & opibus*, qui *pag.* 330. & *ſeqq.* Hiſpanorum Familias Nobiles ordine alphabetico cum proventibus annuis recenſet. Omnes hic enarrare nimis longum

gum foret. Quidam numerant in Hiſpaniâ viginti ſex Duces ſeſquimillione Ducatorum quotannis fruentes; quadraginta & unum Marchiones octingentem Ducatorum millia ex poſſeſſionibus ſuis quo vis anno capientes; & quadraginta Comites eodem ferè proventu annuo gaudentes. *Marinæus Siculus lib.f.* 19. *a. d.ed.Complutenſis in Ann.* 1533. *V. P. Merula lib.*2.*cap.*9.*f.*235. tunc temporis Magnates in Hiſpaniâ ferè pares cum Rege proventus annuos percepiſſe opinantur. *D.T.U.T.* & *author noſter N N*: circa A. 1617. in Hiſp. 23. Duces 32 Marchiones, 49. Comites, & 2. Vicecomites numeratos eſſe tradunt. His aſſentitur *Johannes Boterus in Relat. Univerſali, part.* 2.*fol.* 274. *Ferrarienſis editionis. Salazarius* anno 1612. tres Vicecomites in Hiſpaniâ fuiſſe aſſerit. De numero itaque ſic variante nil certi conſtare poteſt. Quantum ad Luſitaniæ Familias nobiles attinet, inſpiciantur *Lucius Marinæus Siculus, Damianus à Goes, Coneſtagius, Nicolaus de Oliveira, qui anno* 1620. *commentarium ſuum in lucem edidit* & *ſæpe citatus* **Johannes de Laet.** Notiſſimi nominis in Luſitaniâ eſt *Dux de Braganza* regnum illud ad ſe pertinere contendens, quem magna potentia, & ſummis divitiis

tiis prædirum *Boterus part. 1. relat. lib. 1. pag* 51. affirmat. Proventum ejus annuum ex piſcatione Ulyſſiponenſi bis vigeſies mille & quingentis cruſatis redimi *Oliverra* tradit. *D. T. U. T.* quod proventus ejus annuas centum mille cruſatis Luſitanis æſtimetur, *des Eſtats pag.* 164. meminit, Idem confirmat *Relatio de Luſitaniæ Regno apud Honorium.* Vid. *Nicol. Bellus diſsert. polit. Tom. 1. diſ.* 13. *pag.* 187. Equites auratos Creat rubram crucem in inſignibus habentes. Ejus filius natu maximus *Ducis de Barcellos* titulo honoratur: Alter Luſitaniæ *Dux* eſt *d'Avero*, vel *d'Aveiro*, vel *Averienſis*, qui ex *Familiâ Alen caſtrenſi* ortus quinquaginta mille ducatorum proventu annuo ditatur. Hujus filius *Ducis de Tarres novas* titulo utitur. *Marchio de Villa Real Dux de Caminta* creatus eſt. Sunt quoque in Luſitaniâ aliquot Marchiones, & 26. Comites, ſi *Oliveiræ* fides habenda: non plures tamen uno Vicecomite, qui *Ponte de Lima*, & uno Barone Libero, qui *d'Alvito* nominatur. Hæc de Nobilitate Hiſpanicâ ſufficiant.

Tertius Regni Ordo civitates comprehendit. Earum ſupra num. 5. facta eſt mentio; quo pacto autem gubernentur, inferius numero 15. enarrabimus. In Comi-

& civilis Juriſdictio in ſeptendecim clauſas civitates competere ajunt. Quomodo cum aliis Archiepiſcopis, Hiſpalenſi, ſcilicet, Compoſtellenſi, Granadenſi, Valencienſi & Saragoſenſi, quibus nonnulli Burgos urbis Archiepiſcopum, ab aliis inter Epiſcopos numeratum, annumerant, comparatum ſit, innoteſcet legentibus *Marinæum*, *Vaſæum*, *Nonium*, *Boterum*, *Damianum à Goes*, *Aubertum Miræum in notitiâ Epiſcopatuum*, *D. T. U. T. Salazarium*, **Joh. de Laet**, *& Munſteri Coſmographiam lib.* 1. *cap.* 30. *fol.* 101. *ſeq. edit. ult.* ubi quoque mentio fit de tribus Luſitaniæ Epiſcopatibus Ulyſſiponenſi, Bracenſi, & Eborenſi, quorum obedientiæ diverſi alii Epiſcopatus obnoxii ſunt; de duobus item Hiſpaniæ Epiſcopatibus Legionenſi, & Oviedenſi, qui ab Archiepiſcoporum imperio immunes ſunt. Qui porrò de dictis Epiſcopis & Præſulibus aliquid cognoſcendi cupidus fuerit, is adire poterit 20. *cap. Chron. Joh. Vaſæi & Eccleſiaſticam Joh. Mariettæ hiſtoriam*. De Hiſpanicæ & Luſitaniæ Academiis ſuperius nonnulla attulimus. De Eccleſiaſtico ſtatu tantum eſt. De hoc apud *Laetium pag.* 360 *ſcribit Damianus à Goes*, eum ſingulis annis quatuor millionum Ducatorum proven-

tu gaudere, præter illum, quo ingentem etiam pecuniam conficiente, dictæ Commendatariæ cum Magiſtris ſuis quovis anno fruuntur. Unde *Hieronymus de Cevallos* apud eundem *Laetium*; Si, inquit, omnium poſſeſſionum Eccleſiaſticarum, quæ ad Eccleſiaſticum ſtatum hodie pertinent, ratio ineunda eſſet, re ipsâ compertum haberetur, quod ſæcularium reditus & facultates Eccleſiaſticis neutiquam reſpondeant.

10. Eccleſiaſtico ſtatui proximus eſt Nobilium Ordo, qui ut in aliis locis, ità & in Hiſpaniâ gradibus ſuis diſtinguitur. Principio ſe offerunt Nobiles vulgares Gentil hombres nominati, qui non multum abludunt ab iis in Germaniâ, qui ob inſignia communia *Wapens genoſſen* appellantur. Vox *hidalgos* ejuſdem cum *hijos dalgados* ſignificationis, Gothorum filios denotat, (nam à Gothis originem Hiſpani repetunt) & iis tribuitur, qui dignitate vulgares homines antecedunt: *Limnæus de jure publ. lib. 6. cap.* 1. *n.* 7. Vulgarem Nobilitatem ſequuntur Feudorum poſſeſſores, & cæteri equites aurati, qui *Cavalleros* nuncupantur. Bona ſua clientelari jure poſſidentes ab oneribus vulgo, & civibus urbium quovis anno impoſitis immunes ſunt; Majorem & mi-

norem juriſdictionem exercent, nôn tamen omnes; Debitorum cauſa arma & equi ipſis adimi non poſſunt. Liberi Barones, quos Varones Hiſpani appellitant voce Vizcondes procul dubio comprehenduntur. Nam *author noſter N N*: in itinere per Hiſpaniam illorum mentionem ullam factam eſſe non meminit. Vice comitibus (Vizcondes) quales ſunt *de Peralta*, *de Colica*, *d'Ebuli*, Comites ſunt proximi, quos Marchiones excipiunt. His tandem Duces (Duques) ſuccedunt, peculiares provincias poſſidentes, & ſucceſſoribus filiis eas mortui relinquentes, qui tamen ante vigeſimum quintum annum nonniſi dimidia aut tertia proventuũ parte contenti eſſe debent. In civitatibus quidem palatia, ſed non publicas aulas habent, quod ſibi ſoli Rex ſervat. Plærunque conſiliorum Regiorum præſides ſunt, ut ipſis inconſultis & invitis nihil decernatur. Ante Regem *Henricum II.* qui anno 1369. Regnis Caſtiliæ & Legionis præeſſe incepit, Comitatus, Marchionatus, & Ducatus Hiſpaniæ in libros hæreditario jure non tranſferebantur. Ipſe primis Comites inſtituit. Inſpice librum. *Alonſi de Haros cui titulus, Genealogico de los Reyes, y titulos de Eſpanna*, & Johannes de Laet

de-

deſcriptionem Hiſpaniæ. Hiſpaniæ Magnates, penes quos maxima poſt Regem poteſtas, *Los Grandes* audiunt. In Regis præſentiâ caput operiunt, eorumque uxores à Reginâ ſalutatione honorabili exceptæ juxta eam pulvinaribus inſident. His Magnatibus miniſtri genua flectentes miniſtrant. Sunt aut dignitatis tantæ, ut ex ipſis Aurei Velleris Equites, quibus Rex feſto *S. Andreæ* ſolemnitatis cauſa aliquid confert. Equis quatuor junctis curribus, & quidem duobus, ut exterum Principum Legati, vehuntur. Rex ipſe ſolus ſex equos currui ſuo jungit; quod Rex *Philippus III.* etiam *Duci de Lerma* conceſſerat. Quo tempore *author noſter N N*: in Hiſpaniâ fuit, curru cum filiis vehebatur, cui ſex aſini juncti fuerant.

11. Cum Nobilium hic mentio facta ſit, præcipuis eorum ſtirpes hic recenſere operæ pretium duxi. Dominorum *de Velaſco* proſapia inter Hiſpanicas Nobilium ſtirpes authoritate, antiquitate, & celebritate vix ulli alii concedit, utpote quæ plures Regno Caſtiliæ Condeſtables ut vocant, electione ſubminiſtravit. Rex *Johannes II. Petrum Hernandez de Velaſco* anno 1407. Comitem creavit. Hujus nepos *Bernardius de Velaſco* primus *Dux de Frias* fuit. Eorum poſſeſſiones

in

in Biſcajâ, & vicinis regionibus montanis inveniuntur 2. Familia *Nobilium de Mendoza* ſuccedit, ex quâ oriundus *Dux de Infantadgo*, qui palatium Gadajalaræ, & bona ſive regionem ſuam in Veteri Caſtiliâ, Tolidano agro, & regiuncula Alva habens centum mille ducatorum proventu annuo ditatus eſſe fertur. Regis *Ferdinandi* Catholici tempore dignitas hæc collata eſt huic familiæ, ex quâ quoque prodierunt *Dux de Francavilla*, *Marchiones de Montes claros*, *de Mondexar vel Mondeyar*, *de Cannete*; & *Comites de Combrade*, *Monteagudo*, *Orgas*, *Caſtro*, *& Corunna*. 3. Inter præcipuas quoque familias eſt illa *de Enriques*, magni nominis in Caſtiliæ regno, ſtirpi Regiæ Caſtellanæ originem acceptum ferens, ex quâ ortum duxêre, *Dux de Medina del Rio ſecco* Valdoledi palatium, & in Cataloniâ ac Siciliâ regionem ſuam & centum mille ducatorum reditus annuos poſſidens. Et *Dux de Alcala* aliique Marchiones, & Comites plures, ex quibus fuit *Petrus Enriques*, *Comes de Fuentes*. Stemma nobilium *de Cerda* à duabus familiis Regiis, Caſtiliæ nimrium, & quidem *Alphonſo X.* ut *V. Franciſcus Tarapha de Regibus Hiſpaniæ in ejuſdem vita* teſtatur, ac Galliæ deſcendit. Ad illud

ortum ſuum refert *Dux de Medina Celi*, cujus palatium ibidem cernitur, & proventus annui quadraginta mille ducati æſtimantur. 5. Nobilis proſapia *de Manriques*, è quâ genus repetunt *Dux de Naſera, Marchio de Aguilar, Comes de Oſorno*, & *Comes de Paredes.* 6. *De Cardona*, qui nobiles ex Andaluziâ à *Ferdinando Nunez*, & *Alvaro Perez* genus ſuum ducunt. Hujus familiæ eſt *Dux de Seſa*, ſeptuaginta mille ducatorum annuo proventu opulentis; ut & *Dux de Cardona*, & *Comes de Alcandere*. 7. *De Toledo*, quod ſtemma Græcos Imperatores origiginis ſuæ authores profitetur, & edidit. *Duces de Alva* & *Hueſca*, *Marchionem de Villa Franca*, & *Comites de Atamira*, *de Ayalan*, ac alios plures. 8. *De Zuniga*, quæ familia Regibus Navarræ ortum debens celebris eſt *Duce de Vejar*, *Marchionibus de Ayamonte*, & *villa Manrique*, *Comite de Miranda*, & aliis. 9. *De Borias* cui celebritatem haud exiguam conciliarunt *Dux de Gandia* in regno Valentiæ, & *Marchio de Navares*, 10. *Guſmanorum* ſtirps præcipuæ in regno Caſtilia notæ, à Gothis initium ſuum petens, ex quâ originem ceperunt. *S. Dominicus*, *Alfonſus Pereſius Guſmannus*, qui, Caſtellam regente Rege *Sanctio*, cir-

circa annum, à Chriſto nato 1293. vixit, de quo *Mariana lib. 14. de reb. Hiſpan. cap 19. Lipſius in monitis polit. lib. 1. cap. 7. Lanſius in orat. pro Hiſp. pag. 279. edit. 3. & 12. Hiſtoria mei Theatri Tragici pag. 413. edit. ult. de anno* 1634. legi poſſunt. Huic proſapiæ quoquè annumerantur *Dux de Medina Sidonia*, vel *Methymna Sidonia*; *Marchio de S. Lucar de Barrameda*, & *Comes de Niebla* in urbe S. Lucar habitans, in Seviliæ regno ditionem ſuam poſſidens, & centum & triginta mille ducatorum proventu annuo dives. Author noſter de dicto Duce memoriæ prodit, quod ſingulis annis à Rege petere ſoleat, ut in futurâ ſucceſſione ſui meminiſſe velit: & Rex ipſi reſpondeat, hâc de re videbimus, quid factu opus ſit. Sunt & alii quoque hujus ſtirpis, ut *Marchio de Ardales* & de *Algava*, ac *Comes Olivares*, qui à Rege præſente ad ſummum dignitatis gradum evectus eſt. 11. *De Cardonas*, cujus ſtirpis poſſeſſiones in Cataloniâ, Toledanâ regione, & Eſtremadurâ ſitæ ſunt, origo autem à familiâ *Ducum de Anjou* in Galliâ derivatur. In ea ſunt *Duces de Feria*, & *de Maqueda*, ac *Marchiones de Beteta*, & *Priego*. 12. *De Figueroas* in Galliciâ, ex quâ familiâ *Ducem de Feria Salazarius* oriundum aſſerit,

ſerit, nos autem cum aliis ad familiam *de Cardonas*, modo retulimus. 13. *De Cueva*, cujus caput *Dux de Alburquerque*, quadraginta ſex mille ducatis annuum proventum numerans. Ex eâdem quoque familiâ *Marchio de Ladrada* eſſe fertur. 14. Illuſtre & vetuſtum genus *Pachecorum de Pacheco* in Luſitaniâ, cujus membrum *Dux d'Eſcalonia* centum mille ducatorum reditu annuo fruens. 15. *Gironum de Giron*, ex quo antiquiſſimæ originis, *Dux de Oſſuna*, ortus in Pennafiel domicilium, & in regnis Seviliæ & Caſtellæ centum mille ducatorum proventus poſſidet. 16. *Los ponces de Leon*, vel proſapia *Ponce de Leon* admodum vetus, potens, & facinoribus maximè ſtrenuis in Sarracenos inſigniter nobilis, à quâ deſcendunt *Dux de Arcos* Hiſpali ſedem, & in Andaluſiâ reditus ſuos obtinens, ac *Comes de Beylem*. 17. *Aragonum* ſtirps ab Aragoniæ Regibus deducta, & nobilitata *Duce de Villa Hermoſa*, cui Saragoſæ palatium eſt. 18. *Nobles de Silvas* Luſitani ſunt, & ſui generis oſtentant *Ducem de Paſtrana* Mantuæ Carpetanorum commorantem, & ſexaginta mille ducatos ſingulis annis ex fortunarum ſuarum proventu capientem: Præter hunc etiam *Marchione de Monte*

ma-

mayor, & *Comitem de Cifuentes*. 16. *Nobile Genus Oſoriorum de Villalabos & Oſorio* inſigne eſt *Marchione de Aſtorga*, & *Comitibus de Traſtamara*, & *Santa Maria ac de Oſorio*. 20. *Illuſtre genus de Rojas vel Roxas* in Caſtiliâ celebre reddunt *Marchio de Poza*; *Marchio de Denia ac Lermæ Comes*; *Marchio de Altamires*; & *Comes de Mora*. Rex *Philippus III*. *Franciſco de Sondaval* matrimonii occaſione titulum de *Roxas* conceſſit, eumque *Ducem de Lerma*, filiumque ejus *Ducem de Uſeda* hujuſque filium *Ducem de Cea* creavit. Sed *Dux de Uzeda*, vel *Ubeda* ut alii nominant, à *Philippo IV*. omnibus dignitatibus privatus eſt, **Joh. de Laet** *pag* 374. 21. In familia *Nobilium de Caſtro* eminet *Marchio de Sarria* in Galliciâ, qui ſexaginta mille ducatorum impenſis annuis vivere poteſt. 22. Ex *Nobilium de Riberas* Stirpe oriundo *Duci de Alcala de Gonzales* annui proventus octoginta mille ducatos offerunt. 23. Familiam *Nobilium de Pimenteles Comes de Benevente*, & *Marchio de Viana* illuſtrant. 24. Illam *de Haro Marchio de Carpo* nobilitat. 25. Illa *de Avila* à Comite *Bloſio* ſub *Alfonſo VIII*. in Caſtiliâ regnante militaribus facinoribus eximiis in Mauros famoſo derivatur, & illu-

illuſtris exiſtit, *Marchione de las Navas*, & *Marchionibus de Peſcara*, & *de Baſto* in Regno Neapolitano, quos *Salazarius* inter eos *d'Avila*, & *d'Avales* diſtinguens deducit. 26. *De Cortes*, cui aſcribitur *Marchio del Valle* in novæ Hiſpaniæ urbe Mexico habitans, centum quinquaginta mille ducatos quotannis ex fortunarum proventu colligens. 27. *Nobiles de Peraltas* regiâ Navarræorum ſtirpe prognati *Marchione de Falſas* in Navarræ regno innotuerunt. 28 Ex *familia de Aguilar* ortum habet *Marchio de Aguilar*, qui *Marchio quoque de Pliego* etiam ad familiam *Enriques de Lera* referri dicitur. 24. *Los Fajordos*, cum *Marchione de Velez* proſapia quoque celebris; 30. ut & *Los Viamontes* in Navarræ Regno. 31. Sicuti etiam *Porto Carrero* cum *Marchionibus ſuis de Alcala del Almeda*; de *Villa nueva del Freſno*, aut *de Barca rota*, ſecundum *Salazarium*; & *Comitibus de Medellin*, ac *Palma de Miceridio*. 32. *Familia de Baçan* gloriatur de *Comite de Santa cruz*, vel *Santa Croce* ex poſſeſſionibus in Navarræ regno proventus annuos colligente. 33. *De Herreras Marchione d'Aunon*. 34. *De Cardenas* in Caſtellæ regno *Comite de Puebla* illuſtris evaſit. 35. Ex ſtirpe *nobilium*

Los

Los Acunas Comiti de Buendia. 34. Ex *Zapatarum* genus à Rege Aragoniæ *Abarca* ducentium familia *Comiti de Barajas* origo petitur. 35. *Los Heridias* proſapia, ut *Salazarius* vult, *Comiti de Fuentes* Mediolani Gubernatori, qui anno 1610. vita exivit originem contulit. Hunc cum aliis ex *Familiâ d'Euriques* paulo ſuprà deduximus. Hujus proſapiæ *Los Heridias* à Gothis Pyrenæos montes olim incolentibus principium *Salazarius* ſumit. 38. Progenies *Nobiles de Sarmiento Comites de Salinas, de Ribadeo, de Salvatierra*, & *de Gondamar.* 39. *de Guevara*, ex Cantabriâ *Comitem d'Onnate vel d'Ognate*, in Guipuſcoâ proventus ſuos annuos habentem, 40. *d'Ayala*, quæ veteribus Aragoniæ Regibus ortum attribuit, *Comites de Gomera*, *& Fuenſalida*, 41. *Los Quinnones Comitem de Luna*, in Legionis regno jactat. 42. In *familia Nobili de Azevedo* primas tenet *Emmanuel d'Azevedo, & Zuniga, comes de Monterey*, &(forſam matrimonii occaſione) *Fuentes*, qui in aula Regia authoritate & dignitate ſumma pollet. 43. Proſapia *Los Lunas* celebrem famam conſecuta eſt *Comite de Morata* in Aragoniâ, & *Alvaro de Luna* miram fortunæ inconſtantiam experto. *Mariana lib.* 20.

cap.

*cap.*15. & 16. & *lib.* 22.*cap.* 12. & 13. *de reb. Hiſpanicis.* 44. Stirps nobilium *Los Mexias Marchionem de la Guardia* & *Comitem de S. Euphenia* inter ſuos numerat. Porrò ſunt Familiæ Nobiles, 45. *Ulloas* in Caſtellæ, 46. *Avallanos* in Navarræ Regno, 47. *Benavides*, 48. *Avellanedas*, 49. *Carillos* & 50. *Saavedras*, ex quorum numero *Comes de Caſtellar.* Præter has aliæ quoque ſunt familiæ, nempe *de Caſtilla*, *de Granada*, *Manuel* (omnes tres Regiæ originis); *de Touar*, *Chacon*, *Leyva*, (ex quâ princeps d'Aſculi) *Ninnos*, *Solis*, *Vera*, *Vanega*, *Fonſeca*, *Valdes*, *Maldonado*, *Quixada*, *Vargas*, *Vega*, *Sottomayor*, *Porro*, *Queſada*, *Ovando*, pluresque in Luſitaniâ Regii ſanguinis (ut *Marchio de Gelues*,) &c. de quibus legantur *Ambroſius de Salazar in ſuo Inventario vel Almonedà general à* 105. *uſque ad pag.* 142. *Conſalvus Argoti*, *Molina libro de nobilitate Hiſpaniæ*; *Alonſo Lopes Nobiliario Genealogico de los Reys y titulos d' Eſpanna*: *A. B. Peregrinus in Bibliothecâ Hiſpanicâ*, **Johannes de Laet** *de Regis Hiſpaniæ Regnis & opibus*, qui *pag.* 330. & *ſeqq.* Hiſpanorum Familias Nobiles ordine alphabetico cum proventibus annuis recenſet. Omnes hic enarrare nimis longum

gum foret. Quidam numerant in Hiſpaniâ viginti ſex Duces ſeſquimillione Ducatorum quotannis fruentes; quadraginta & unum Marchiones octingentem Ducatorum millia ex poſſeſſionibus ſuis quovis anno capientes; & quadraginta Comites eodem ferè proventu annuo gaudentes. *Marinæus Siculus lib.5. 19. a. d.ed.Complutenſis in Ann.*1533.*V. P. Merula lib.*2.*cap.*9.*f.*235. tunc temporis Magnates in Hiſpaniâ ferè pares cum Rege proventus annuos percepiſſe opinantur. *D.T.U.T. & author noſter N N*: circa A. 1617. in Hiſp. 23. Duces 32 Marchiones, 49. Comites, & 2. Vicecomites numeratos eſſe tradunt. His aſſentitur *Johannes Boterus in Relat. Univerſali, part.* 2. *fol.* 274. *Ferrarienſis editionis. Salazarius* anno 1612. tres Vicecomites in Hiſpaniâ fuiſſe aſſerit. De numero itaque ſic variante nil certi conſtare poteſt. Quantum ad Luſitaniæ Familias nobiles attinet, inſpiciantur *Lucius Marinæus Siculus, Damianus à Goes, Coneſtagius, Nicolaus de Oliveira, qui anno* 1620. *commentarium ſuum in lucem edidit & ſæpe citatus* **Johannes de Laet.** Notiſſimi nominis in Luſitaniâ eſt *Dux de Braganza* regnum illud ad ſe pertinere contendens, quem magna potentia, & ſummis divitiis

tiis prædirum *Boterus part*: 1.*relat.lib*. 1. *pag* 51.affirmat. Proventum ejus annuum ex piſcatione Ulyſſiponenſi bis vigeſies mille & quingentis cruſatis redimi *Oliverra* tradit. *D. T. U. T.* quod proventus ejus annuas centum mille cruſatis Luſitanis æſtimetur, *des Eſtats pag*. 164. meminit, Idem confirmat *Relatio de Luſitaniæ Regno apud Honorium*. Vid. *Nicol. Bellus diſſert. polit. Tom*. 1. *diſ*. 13. *pag*. 187. Equites auratos Creat rubram crucem in inſignibus habentes. Ejus filius natu maximus *Ducis de Barcellos* titulo honoratur: Alter Luſitaniæ *Dux* eſt *d'Avero*, vel *d'Aveiro*, vel *Averienſis*, qui ex *Familiâ Alen caſtrenſi* ortus quinquaginta mille ducatorum proventu annuo ditatur. Hujus filius *Ducis de Tarres novas* titulo utitur. *Marchio de Villa Real Dux de Caminta* creatus eſt. Sunt quoque in Luſitaniâ aliquot Marchiones, & 26. Comites, ſi *Oliveiræ* fides habenda: non plures tamen uno Vicecomite, qui *Ponte de Lima*, & uno Barone Libero, qui *d'Alvito* nominatur. Hæc de Nobilitate Hiſpanicâ ſufficiant.

Tertius Regni Ordo civitates comprehendit. Earum ſupra num. 5. facta eſt mentio; quo pacto autem gubernentur, inferius numero 15. enarrabimus. In Comi-

mitiis Regiis poſt Regnorum Legatos proximum locum obtinent. Nam quando magni momenti re totum Hiſpaniæ Regnum concernentes ſe offerunt, Comitia Rex celebrat, in quibus ipſe præſidet, Ordines autem Regni vel ipſi præſtò ſunt, vel Legatos mittunt. Quicquid vero decernitur, Legis vim obtinet.

12. Cunctis his Ordinibus & Regnis unus imperat Rex non electione, ſed ſucceſſione regnum tenens, cui filiis legitimis carenti & morienti etiam filias in Regno ſuccedere mos eſt. Coronationis actu ſolenni tamen, quibuſcunque Regni poſſeſſio obtingit, inaugurantur. Mutuo autem ſacramento Rex populo, & populus Regi devincitur. *Antonius Perez Hiſpanicus ſecretarius in relat.pag.* 347. lege veteri Hiſpanicâ capitis condemnatum Regis vultu, & aſpectu liberari tradit. *In* 1.*part.Theſauri Polit.nella relat.di Spagna* legere eſt, quod Hiſpaniæ Regem ſubditi non ſolum ſummo honore, ac amore, & omni officiorum genere proſequantur, ſed etiam maximâ reverentiâ colant, imo ferè etiam adorent. Nulla etiam in toto Chriſtiano orbe gens reperiatur, quæ majore affectu interno, & humilioribus corporis totius geſtibus, & externis officiis promptioribus principi ſuo

ſuo debitam reverentiam exhibeat, quam Hiſpani in more poſitum habeant. Videatur *Nicolaus Bellus in diſſert. diſ.* 11. *Tom.* 1. *pag.* 179. Solito majora onera tamen ſibi imponi non patiuntur, adeo ut Ruſtici ipſi ultra debita officia ſe urgeri non ſinant. Plus juſto à Dominis ſuis vexati in Regis juriſdictionem tranſeunt, ac tandiu ibi præſtolantur, donec compoſitâ lite ipſis redire licet. Hinc *Cæſar Maximilianus I.* ſolitus eſt dicere, ut in *dictâ diſſertatione* extat & *D. T. U. T. pag.* 160. ac *Lanſius in orat. pro Hiſp. pag.* 304. *edit. in* 8. ſcribunt, ſe Regum Regem, Hiſpaniarum autem Regem hominum Regem eſſe. De Regni Aragoniæ in hoc caſu immunitatibus conſulantur *Thuanus lib.* 104. *Hiſtoriarum*, & Johannes de Laet *cap.* 5. *pag.* 116. Suprà nominatus *Antonius Perez* Regi *Philippo II.* anſum præbuit, ut immunitates illas acciderit. Catalauni & Cantabri ſuas hactenus ſartas & tectas conſervarunt. Ab *Alphonſi II.* tempore Rex Hiſpaniæ Catholici titulo inſignitur, ut in 1. *c. Itinerarii mei Gallici* dictum eſt. Vide *Conſilium Regium G. Scioppii p.* 31. *Limnæum de jure publ. lib.* 1. *c.* 6. *n.* 12. 13. *Simonem Majolum dier. Canicul. tom.* 5. *colloq.* 5. Archiepiſcopos & Epiſcopos offerre in

D 2 po-

poteſtate habet, ut ſupra diximus, quanquam beneficio non aliis quàm indigenis, & iis quibus antea Civitatum Hiſpanicarum jus donavit, conferre poteſt, ut ex dicto Authore *D. T. U. Y. pag.* 160 Johanne de Laet *pag.* 100. *& citato Belli loco* liquet. Ac quamvis arbitrio ſuo omnibus & ſingulis ſuis regnis gubernatores proreges, adminiſtratores præficiat; & in civitatibus conſules conſtituat, & permittere poſſit, ut civitatibus ſenatores à civibus eligantur, haud facilè tamen aliquid inſciis ſuis conſiliariis ſtatuere aut facere ſolet. Horum miniſtrorum actiones non temerè reprehendit, multò minus ſuppliciis vindicat, quod Imperii publici rationem poſtulare judicet, ut ſalva illic ſit, nec vileſcat autoritas. Menſæ aſſidenti Magnates, vel los Grandes utroque genu flexo miniſtrant. Coram ipſo ſermonem habituro paucis verbis utendum. Petitiones ſcripto exhibendæ, quæ exhibitæ literis mandata reſponſione expediuntur. Veredario litteras curandas accipienti ſub capitis pœna ſaccum, cui inditæ ſunt, aperire non licet, priuſquam ad eos venerit, quibus tradantur neceſſe eſt. ad exteros Principes litteris datis nomen ſuum ſub ſcribit; Cæteris Joël Rey, id eſt, Ego Rex ſubſcriptum invenias. Eodem

dem pacto inducias cum Unitis Belgii Provinciis pactas ſubſcripſerat; quod inſtrumentum in charta ſolummodo conſcriptum, & parvo ſigillo conſignatum Fœderati Belgii Proceres repudiarunt. *Baudius de Induciis belli Belgici lib.1.pag. 26. Limnæus de jure Publ.Imperii Romano Germanici lib.4 cap.6.n.13.& ſeqq.* Filius Regis natu maximus Aſturiæ princeps dicitur. *Chopinus de domanio Franciæ lib.1.tit.2.num.4 & Aubertus Miræus in chron.in Anno* 1388. Eadem plane modo, quo in Galliâ Delphinis, in Angliâ Walliæ Princeps, in Scotiâ Dux Albaniæ vel Rothſajæ, in Aragoniâ Gironæ,& in Navarrâ, Xicanti vel Vianæ Dux filius primo genitus appellatur. Alio Primo genitum Principem Hiſpaniç nuncupant, ac Ubedam, Bratiam, & Illiturgim ad eum pertinere ajunt, ut *Miræus* monet. Cæteri Regis liberi Hiſpaniarum Infantes nominantur. Quo tempore *author noſter N N*: in Hiſpaniâ verſabatur, tres Regis filii, *Philippus IV.* nimirum, qui hodiè regnum obtinet, & duo ejus fratres peculiari menſæ accumbere ſolebant, & à teneris unguiculis vino nive refrigerato aſueſcebant. Gynæceum Regium quaſi carceri incluſum vitam degit; Cuſtodibus autem ipſos Magnates ab

ejus conſpectu, & colloquio arcere licet.

13. De Regiis proventibus ex Regnis ac ſingulis civitatibus prodeuntibus agunt *D.T.U.T. in libro des Eſtats du Monde p.* 323. *& ſeq. & Ambroſius de Salazar in ſuo Inventario c.6.ab* 82. *uſque ad* 103. *pag. edit. Pariſ. in* 8. quibus tanquam à veritate aberrantibus *noſter author N N*: contradicit, nec ſine ratione, cum omnia cum tempore ipſo ſe mutante mutari queant. Dictus autor noſter maximos Regis proventus in vectigalibus conſiſtere, vectigalia vero Regem aliis vendere aut elocare dicit. Nec ideo ipſum à vectigalibus immunem poſſe præſtare aliquem, ut in itinere verſans ſine vectigalium ſolutione res ſuas exportare queat, niſi ipſe pro vectigali ſatisfacere velit. Videantur *Mariana lib.* 16. *cap.*9.*& lib.*17. *c* 8. & *Hugo Linſchoten.* Anno 1341. introductum eſt vectigal Hiſpanis 1.*Alcarala* & Italis *Gabella* dictum, quod aliquoties poſtea auctum fuit. Ejus vi coguntur ſubditi decimas pendere, quotieſcunque merces, bona, prædia, ædes & agri venduntur. Eidem obnoxii ſunt cujuſcunque generis opifices, ut ſutores, ſartores, lanii, & quicunque officinas apertas habent. Vinum quoque ſive uvæ colligantur, ſive ipſum in Regno divendatur, ſi-

ve

ve in exteras regiones navibus deferatur. Rex vero cum civitatum Magiſtratibus certâ pactione, quæ *Encàbeçamiento* nomen habent, tranſigit, ut certa pecuniæ ſumma ſoluta ipſi deinde à ſuis civibus, & circumjacentium pagorum incolis vectigal exigant. 2. *dictum*. Præter dictum vectigal tributi meminit idem noſter autor imperati Eccleſiaſtico Ordini, quod profecto ingentem pecuniæ vim corradit, cum Epiſcopi tertiam redituum ſuorum partem, & ex duabus tertiis ſibi reliquis pecuniam auxiliariam, & Pontificiis permiſſu de omnibus bonis Eccleſiaſticis decimas, (el *Excuſado* nominant) impendere cogantur. Lege, quæ *Cardinalis Oſſatus apud* Johannem de Laet/ *in* 76.274 *&* 283 *epiſtola* ſcribat; In primâ enim nullum totius Chriſtiani Orbis Ordinem Eccleſiaſticum majoribus oneribus quam Hiſpanicum oneratum eſſe queritur. 3. Extra ordinem porrò quotannis per omnia regna cujuſque bonis tributum certum imponitur, *los ſervitios ordinarios* appellatum, à quo Nobiles, qui feuda poſſident, & Equites Aurati immunes ſunt. Duos præterea ducatorum milliones, ut vocant, ſubditi quotannis Regi conferunt, ſicuti ex *Johanne Laetio* patet. Auxilium millionum (*des*

millons) communi voce appellatur, & Regi in quatuor aut ſex annos à Regni Ordinibus concedi ſolet. Annorum illorum ſpatio elapſo Ordines iterum conveniunt, & pro re natâ auxilium illud in aliquod annos prorogant. 4. Omnibus bonis ex regnis Valencia, Aragonia, & Navarra terreſtri profectione in cætera Hiſpaniæ regna tranſvehendis, aut viceverſa ex his in illa tranſportandis decimæ ſunt pendendæ, quod & de Luſitaniæ cæterorumque Regnorum commercio mutuo intelligendum eſt. 5. Incolas duo tum exteros quatuor ducatorum ſolutione vectigal ſacca centum & quinquaginta circiter lanæ libras complectenti impoſitum redimere oportet. 6. Hiſpalis civitas pro ſe & vectigali nautico quotannis ſesquimillionem auri ſolvit. 7. Germani, Galli, Belgæ, Itali, Luſitani, & Angli pro omnibus mercibus decimum nummum ſolvendo Regi ſatisfaciunt. Tributo huic nomen eſt *Almoxarit*. Sed in Valentiæ Regno & mediterranei maris portubus decem Regales quatuor denariis redimunt. In iis tamen locis à Belgarum nautis & mercatoribus illud vectigal non exigitur. Panni lanei textum unum ab exteris in Hiſpaniam advectum ſex ducatorum ſolutione vectigal redimat neceſ-

eſſe eſt. 8. Navibus in Indiam proficiſcentibus vigeſimus nummus & idem in Indiâ ipſa ſolvendus eſt. Idem faciendum iis, quæ non modo Hiſpali; ſed ex aliis etiam Andaluſiæ portubus ſolventes Indiam occidentalem petunt. Huic vectigali nomen eſt *Almoxariff de las Indias de Eſpanna.* 9. A civitatibus, in quibus moneta cuditur, pro jure cudendi de ſingulis argenti marcis certa pecuniæ ſumma pendi ſolet. Nomen tributi eſt *el Sennoreaxo de la Moneda.* 10. Quoniam Rex Commendutarum, ut vocantur, Ordinum equeſtrium S. Jacobi, Alcantaræ, & Calatravæ jus conferendi poſſidet, ac illud Dominis *Fuggeris*, Johanne de Laet teſte elocat, ex locatione illâ ter centum mille ducatos quotannis percipit. Fructus hi *ſubſidio* vel *Arrendiamento* nuncupatur. Præterea ut omnium bonorum Eccleſiaſticorum, ita etiam eorum, quæ ad Equeſtrem hunc Ordinem pertinenti, tertiæ partis ab Alcavalorum exactoribus acceptæ & cum Alcavalis elocatæ particeps redditur. 11. Paſcua & res pecuaria quotanni elocata Regi haud exiguum quoque nummorum ſummam conficit. 12. Ex argenti vivi fodinis Almalæ in montanis Sierræ Morenæ in Calatravæ vicinia haud exiguus, ex argenti

 fodi-

fodinis Gadalcanæ in Eſtremadura etiam, minor tamen, quovis anno fructus in theſaurum Regium redundat. 13. Omnibus provinciis injunctum eſt, ut ſervorum, & remigum captivorum nomine nummorum ſummam certam largiantur; ſub titulo, *el exercitio por los Eſclavos y Galeras.* 14. Focorum in toto regno ſinguli ſeptem maravediſiorum ſolutione annuâ onerati ſunt. Hæc *la moneda ſorera* appellatur. 15. Chartæ alicunde in regnum invectæ etiam vectigales ſunt. 16. Regi quoque Pontifex Romanus bullas quaſdam largitur, olim conceſſas, ut bellum cum infidelibus & hæreticis geri poſſet: has ſubditis Rex vendit ipſis diebus ſabbathi carnis eſum permittentes, & ingentem pecuniæ vim cumulantes, ut *Laetius* docet. 17. *Almadrava* nomen eſt vectigalis ex certis piſcibus nummos colligentis. 18. Omnibus ſeptennibus, aut plures annos agentibus duorum regalium ſolutio impoſita eſt. 19. Principum & Comitum liberi poſt parentum ex hâc vitâ diſceſſum uſque ad ætatis ſuæ vigeſimum quintum annum dimidiæ, aut tertiæ tantum omnium redituum ſuorum partis participes fiunt. Quæ reſtant, Regis ſunt. 20. Pipera monopolium Rex exercet grande lucrum ipſi quotannis affe-

afferens. 21. Omnia debita creditoribus adjudicata de centum florenis quinque Regi pendunt. 22. Etiam munera quædam venalia ad corradendam pecuniam adjumento ſunt. 23. Ad Catholicam religionem ſe recipientes, & novi Chriſtiani appellati tributis haud exiguis etiam premuntur. 24. Omnium hæreticæ pravitatis nomine condemnatorum bona Fiſco Regia cedunt. 25. Cujuſvis mancipii advenientis cauſa aliquid dandum eſt. 26. Tertia pars pecuniæ ademptæ iis qui contra leges pecuniam aut merces quas penes ſe habuerant, reticuerunt, ad Regem pertinet. 27. Singuli verveces Mantuæ Capetanorum in macellum deducti duobus regalibus redimendi. 28. Ex ſalis vectigali proventus emanans grandis quoque eſt. Hæc omnia de Regnis intelligenda, quæ uno Hiſpaniæ nomine comprehenduntur. Eorum enim, quæ ex aliis Regnis & regionibus ipſi conficiuntur hic mentionem nullam adhuc fecimus. *Chriſtophorus Forſtnerus lib. 3. pag. 283. notar. polit. in Tacitum Paduæ anno 1627. editarum* Regem, ait, ex Indiâ non plus tribus millionibus quotannis accipere: reſiduas opes ad privatos pertinere: plæroſque etiam in Hiſpaniâ Magnates ad paupertatem redactos eſſe,

ac mercatores Regi petenti vix quinquè florenorum millia conferre poſſe. *Almoneda General* univerſos Regis proventus tredecim millionibus, & ter centies mille nonaginta ſex mille & ſexaginta ſex coronatis circumſcribit. Videatur *Relatio de Regis Hiſpaniæ opibus, apud Honorium, & diſc. Nicol. Belli pag.* 172. *D. T. U. Y.* eoſdem duodecim millionibus centies mille ac nonaginta novem mille & quadraginta octo Coronatis; **Johannes de Laet** autem ex *Johanne Hugone Linſcotano* tredecim denariis centenûm millenariorum, & quadraginta octo mille ducatis æſtimat, Excipiuntur Luſitaniæ reditus, & quæcunque Regi ab Eccleſiaſtico Ordine quotannis tribuuuntur: Nam ſexaginta ſex auri tonnas annuatim Luſitania largiri creditur, quamvis *Nicolaus Oliveira* 4. 360. 548. cruſatos numeret: quæ ſumma illi, quæ ex **Johannis de Laet** ſupputatione emergens tredecim milliones, & 48. mille ducatos dedit, adjuncta ſeptendecim myriadas, & quater centies octies mille ducatos conficiet: qui hic tribus florenis Brabandicis, aut Francis (Francken) reſpondentes dabunt 5222:5644, florenos quorum unus 40. cruciferos valet. Si ad noſtram Germanicam monetam reducas, ſummma tota erit

erit 348 17096. florenorum Germanicorum. In *editione ultima Coſmographiæ Munſteri cap. ult. fol.* 141. *ſeqq.* Omnes reditus hujus Regni Hiſpaniæ totius, ut anno 1628. ſupputati ſunt, ad viginti duos centenariorum millenariorum denarios perveniſſe dicuntur. Hiſpaniâ cum Luſitaniâ quotannis. 10. Mediolani Ducatus 1. Regnum Neapolitanum 2. *Sicilia* 1. Inſulæ Sardinia Majorca & Minorca 2. Belgium 2; India utraque 4. milliones ſingulis annis largiuntur. Quanquam autem incredibilis hæc tot nummorum vis omnem fidem fere ſuperat, non minor tamen copia eſt ſumtuum & expenſarum, quæ Regi tanto faciendæ ſunt. Regionum & regnorum quæ poſſidet, amplitudo & copia facit, ut incredibilis miniſtrorum numerus, & ingens præſidiariorum multitudo, ac hanc pauci Legati ubique alendi, largitionibus creberrimi, multum pecuniæ impendendam, & gravia ubique bella gerenda ſint. Teſtatur id bellum illud cum Unitis in Belgio Provinciis geſtum, quod infinitis theſauris Regum Hiſpaniæ trium *Philippi II. Philippi III. & Philippi IV.* pertinaciam mulctavit. Johannes de Laet *cap.* 24. *Lanſius pag.* 345. *in orat. contrà Hiſpaniam.* Accedit & alterum incommodum, quod Hol-

Hollandi & alii claſſes ex Indiâ venientes, quandoque intercipiant, & captas domum deducant, aut ad minimum tàm male tractant, ut fundum petant. Unde fit, ut Genuenſes mercatores, qui ad dictarum claſſium ædificationem & apparatum Regi pecuniam mutuo dederunt, quandoque foro cedere cogantur. Licet igitur impenſæ Regis ſolitæ in *Munſteri Coſmographia*, quatuordecim myriadas non excedere dicantur; inſolitæ tamen & inſperatæ expenſæ ſæpius accedentes in cauſa ſunt, ut acceptis impenſæ longè majores evadant. De potentiâ Regis Hiſpaniæ paucis dicimus, tantum eam eſſe ut potentiſſimus mundi Princeps, ob magnam regionum & regnorum multitudinem, jure ac merito habendus ſit. Conſule *Acta publica Lundorpii tom. 2. lib. 7. tract. 12. fol. 1247. & ſeqq.* Si inter hunc Monarcham & Turcicum Imperatorem comparatio inſtituenda, eadem eſſet in utrumque proportio, quæ numerorum 13. & 2. aut 80. & 13. vel 433, & 74. ut *Theſaurus Politicus part. 2. cap.* 11. indicat. Clarius rem pronunciat *Lanſius in orat. pro Hiſpaniâ, pag.* 302. Regis Hiſpaniæ imperium Turcico decies majus eſſe. Romanorum potentia nunquam eâ magnitudine ſurrexit, ut quanto Rex Hi-

Hiſpaniæ, tanto Regionum ſpacio imperium ſuum diffuderint. Imo, quamdiu mundus viguit, nullus unquam Princeps tot, quot Hiſpaniæ Rex, regnorum, provinciarum & regionum poſſeſſor extitit. *Conſultatio Comitis à Caſtel de opt. parandi* (*pum modo pag.* 264. *Lanſius dicta pag.* 302. *Boterus part.* 2. *relat. lib.* 4. *pag.* 277. *Bellus diſc.* 17. *tom.* 1. *p.* 263. In mari mediterraneo dominatur Inſulis Balearibus, Majoricæ & Minoricæ. Illam deſcribunt *Mariana lib.* 12. & *Bernardus Gomeſius lib.* 6. longitudinem centum mille paſſibus exporrigit, ambituque ſuo quadringentos & octingenta mille paſſus colligit. Hæc à priori 5. vel 6. Hiſpanicis milliaribus disjuncta circuitu ſuo centum & quinquaginta mille paſſus metitur. Septendecim cum dimidio, milliaria Hiſpanica, quindecim Germanica, & ſeptuaginta Italica longitudine conveniunt. In eodem mari tanti Regis dominium agnoſcunt duæ inſulæ Pitiuſæ, Yrica nimirum, olim Ebuſa, & Formentere, nominibus Ophiſa vel Colubraria veteribus nota. Idem facit Sardinia ejuſdem maris inſula fere ad Siciliam magnitudine accedens; quam Pontifex Romanus Aragoniæ Regi jure clientelari poſſidendum tradidit: De hâc *Philippus Cluverius in præ-*

præſtantiſſimo ſuo de Siciliâ antiquâ opere, & Johannes de Laet *cap.* 6 Legendi Siciliæ pariter, & ſeptem circumjacentium inſularum, quas Æolidas appellant, in dicto mari ſedem habentium Rex eſt. Has deſcribunt dicti authores, & alii qui Italiam deſcribentes eaſdem deſcriptionibus illuſtrarunt. In Africâ & Atlantico mari Hiſpaniæ Regum dominio parent Septa Mauritaniæ Tingitanæ civitas in Gaditani freti, ſeu faucium apud civitatem Gibraltar vicinia; Tingim vel Tanger urbs; Mazagaon civitas & caſtellum; Inſula Madera; Inſulæ Aſores vel Flandricæ; Caſtellum Arguin: Inſulæ *capitis viridis*, S. Jacobi; S. Thomæ; & aliæ; Caſtellum S. Georgii del Mina; Regnum Congo, quod peculiari adhuc regi paret, & Hiſpanos haud multum reformidat: Regnum Angolæ; Inſula S. Helenæ; Caſtellum Moſambique; Inſula Madagaſcar vel S. Laurentii, in quâ Reguli quinque Regis Hiſpaniæ imperio ſe ſubjecerunt: & plura alia loca, de quibus dictus de Laet *cap.* 7. legi poteſt, ut & *cap.* 8. quod enumerat urbes & arces quarum Rex Hiſpaniæ, quatenus Luſitaniæ Regnum obtinet, in Aſiâ & Indiâ Orientali poſſeſſore evaſit. Inter poſſeſſiones eas ſunt Inſula Ormuz Hiſp. A. 1622. ab Anglis

glis & Perſis iterum erepta; Inſula Goa cum urbe cognomine, & metropoli Indiæ totius, in quâ Archiepiſcopus, & Indiæ totius Prorex Hiſpanus ſedes ſuas habent: Inſula Ceylon parte aliquâ; Urbs Malacca: Inſulæ Moluccæ, quarum præcipuas Hollandi ſuperioribus annis in poteſtatem ſuam redegerunt, & urbs Macao. In Occidentali Indiâ Rex poſſidet Braſiliæ urbes, & provincias aliquot à *Johanne Laetio cap.* 9. deſcriptas, qui *cap.* 10. ſatis fusâ deſcriptione quoque illuſtrat vaſtas regiones cæteras, quæ in America Hiſpanico dominatui ſubjectæ ſunt. Præter hactenus narratas Regiones in poteſtate ſuâ porrò habet Inſulas Canarias; Omnia Regna cum Luſitaniâ uno Hiſpaniarum nomine comprehenſa; Regnum Neapolitanum; Mediolanenſem Ducatum aliaque Italiæ loca; Belgii maximam partem; & Burgundiæ Comitatum. Hinc ex Germania ſibi etiam de militibus aliiſque rebus neceſſariis proſpiſpicere poteſt. De his plura invenientur apud *Munſterum lib.*2. *c.* 48.*fol.*136.*edit. Baſil.de Ann.* 1622. *Johannem Laetium*: *in Theſauro Politica anno* 1601. *Mediolano impreſſo*, *cap.*11.*part.*2.*apud D.T.U.T. pag.*133. *&* *ſeqq. edit. Pariſ.in* 4.*de ann.* 1619.*ſub tit. les forces du Roy d'Eſpagne*:

In

*In diſc.*17.*Nicolai Belli.* Dictus *D.T.U.Y.* deſcriptionem ſuam deſcripſit ex *Botero,* quem non nominat, & cujus *Relatio anno* 1598. *ſeparatim Latino ſermone veſtita Coloniæ in* 4. *edita eſt ſub titulo*: *Commentariolus parallelus*, in libro eo non de dictis regionibus ſolum, ſed & de rectione, potentiâ militari, & Principibus vicinis agitur. *Botero* contradicit Johannes de Laet *cap.* 26. *libri ſui*, ubi aliorum, ut & *Boccalini* judicia opponens Regis Hiſpaniæ pontentiam tantum non eſſe, quanta quidem prædicetur, aſſerit. Nam Regna & Regiones ejus latè diffuſas & diſperſas impedimento eſſe, quò minus vires conjungere queat. Apertè etiam ibidem ſignificat, quomodo cum utrâque Indiâ comparatum ſit, & quantum incommodi gentes illæ Barbaricæ, Angli, Belgæ inferre queant. Sequente *cap.*27. cauſas affert ex *Thuano & Conſiliarii Hiſpaniæ Regi Philippo III. anno* 1619. *dederunt*, *& liber*, *cui titulus*, *Conſervatio Monarchiæ Hiſpanicæ*, *à Petro Ferdinando*, *Novareta Secretario Regio A.*1626.*Mantuæ Carpetan.in lucem editus comprehendit*; cur Hiſpan. Regis ærarium adeò exhauſtum ſit. *Salazarius p.*60. *Meteranus lib.*21. *&* de Laet *c.*4. Cum igitur Judæorum & Maurorum, ac no-

novorum Chriſtianorum, qui ſe ſuſpectos reddiderant ejectione anno 1619. perpetuis bellis & navigationibus Indicis, ut & Regionis ac Fœminarum ſterilitate Hiſpaniâ in eam incommoditatem inciderit, ut incolarum penuria maximè laboret, Rex exterarum gentium operâ in expeditionibus ſuisbellicis uti cogitur; In Hiſpaniâ tamen ter mille Equites Hiſpano ſemper in promptu, & ad quemcunque neceſſitatis caſum parati eſſe feruntur; quamvis Equitatus Hiſpanicus exiguâ celebritate hactenus innotuerit. Quomodocunque res ſe habeat, noſter *author N N*: nihilominus opinatur, ſi neceſſitas poſtularet; Regi militum copiam in Hiſpaniâ non defuturam, cum incolæ Regem ſuum amore proſequantur, & voluntate promptâ ad ei ſerviendum proclives ſint. Valdoledi certe Mantuæ Carpetanorum, Ulyſſiponæ, Hiſpali, Valentiæ, Barcelonæ & Zaragoſæ incredibilis hominum copia cernitur. Hiſpaniæ multitudinem hominum ferè eandem, quæ Italiæ tribuitur, *Boterus* attribuit. Sed ſcripſit hoc, antequam anno 1610. tanta mortalium frequentia Hiſpaniæ Regno ejiceretur. Neceſſitate urgente etiam Nobiles & propria perſona, & propriis ſumptibus Regi inſerviant opor-

portet. Et quoniam, ut ſuperius diximus, Hiſpani parvo, raphanis nempè, pomis aureis, lactuca, ſimilibusque cibis contenti arctè contenteque ſe habeant, in terrâ commeatu, & mari pane bis cocto facilius & diutius ſuſtentari & ali poſſunt. Angli quidem & alii perſuaſum habuerunt, ſiquidem Luſitani & Aragones Caſtiliæ Regum rectionem non uſque quaquè probabant, Incolarum & nautarum defectu maritima loca debitis & requiſitis præſidiis defendi non poterant, ac armamentaria Barcelonæ, *Ulyſſiponæ*, Malagæ & aliis in locis non ſatis inſtructa erant, quod facili occupatione portubus maritimis potituri,& Hiſpaniam in extremitatem ſummam adducturi eſſent, ſi portubus occupatis interiorum partium incolæ omnium rerum neceſſariarum advectione excluderentur. Eâ de cauſâ vicibus diverſis Hiſpaniam aggreſſi nonnulla loca quidem in poteſtatem ſuam redegerunt, & damnum haud exiguum Hiſpanis intulerunt, ſed nihil conſervantes ſtabilem & firmum in Hiſpaniâ pedem figere non potuerunt, & contra experti ſunt, quod hic Rex domi, id eſt in Hiſpaniâ ad reſiſtendum hoſtibus ſuis ſatis potentiæ habeat.

14. In aulâ Regis miniſtros varios & di-

diverſos varia & diverſa numera atque officia occupant & diſtringunt. Mayordomo, Mayor univerſæ aulæ præfectus, cui ſubſunt quatuor alii Mayor domos cum triginta & uno nobilibus menſæ Regiæ ſervitia obeuntibus, & viginti Nobilibus aulicis. Decem Nobiles Camerarii, cum decem miniſtris in cameris ſervitia ſua obſervantibus. Tres Guardarobas, ſunt miniſtri, qui veſtimentorum, & aſuarum ſimilium rerum curam gerunt. Quatuor Quardajoyas, quibus rerum prætioſarum cura commiſſa eſt. Quinque Lapiferi. Sex Pincernæ, cum octo aliis perſonis, quæ cibos cuſtodiunt, & culinam curant, duodecim famulis culinariis, ut & aliquot cocis, & tredecim aliis ejuſdem farinæ hominibus. Tapetorum præfectus, qui undecim alios ſub ſe habet. Tres Medici, Chirurgus unus, tres Tonſores, duo Pharmacopolæ cum duobus miniſtris: Sartor, Sutor, Phrygio, Pellio aulicus & nonnull alii ejuſmodi opifices numero novem: Lotrix una, duo Palatii janitores, unus clavium cuſtos aperiendo & claudendo deſtinatus, decem miniſtri aliique ſimiles, cum 89. Satellitibus. Poſt magnum Aulæ Præfectum, ejuſdem ſequitur Vicarius, & Contador, vel Veedor de los Caçadores, qui rationum

num curam gerit, & ſumptuum, qui Venationibns & Venatoribus impendantur. Item de ſponſoro Mayor, vel Spenditor, ſimiliumque numerum curatores, quales ſunt Teſorero. Valleſtero, Sangrador, los Aguadores, vel Muletiers, Barrendero Mayor, vel bailleur. Cuſtodiis porrò diverſis Rex ſtipatur. Burgundica centum nobilibus Burgundis conſtat. Archeros de la guarda del Rey appellati Capitaneum, Locum tenentem, Signiferum, tubicinem, & Capellanum habent. Germanica centum Germanorum, la Guarda de à Pie cognominata, Centurione, vicario, tibicine, duobus tympaniſtis, Sacellano & Chirurgo utitur. Hiſpanica, ut prior, centum pedites, ſed Hiſpanicos complectens Centurioni, vicario ſeu locum tenenti & accenſui ſubeſt, quibus accedunt quatuor Cabos de Eſquadra, ſeu Corporales, uti vocantur, Sacellanus, Medicus, Chirurgus. Hiſpanica altera ſexaginta equitibus Regiæ Cuſtodiæ inſerviens & duos Tubicines habens. Præterea reperiuntur inter Aulicos 10. Apoſentadores, ſeu hoſpitiorum & ſtationum curatores, ut & 40. Furrielos, qui in itineribus hoſpitia aſſignant. Trecenti etiam ſunt nobiles, quorum pars ſemper aulam ſequuntur, pars ab u-

no

no ad alterum anni quadrantē aulæ præſtò ſunt. Eſt alia quoque Cuſtodia capitum centum ſub uno centurione, aliiſque ejuſmodi numerum militarium adminiſtris, qui omnes continos homines des armas appellantur. Quinquaginta Monteros de Guardia appellati, & nobili genere oriundi omnes, quorum viginti in Reginæ aulâ, & Regiarum filiarum thalamis miniſteria ſua gerunt, & ex montanis circa Urbem Burgos adſciſcuntur. Nobiles pueri undeviginti à Præfecto & ſub præfecto reguntur, quibus adjuncti ſunt Sacellanus, Præceptor (Maeſtro de Eſtudio) Saltandi magiſter (Maeſtro de Dançar,) Tanner, Cocus (Cozienero) Equorum circumactor (Maeſtro de bolteàr) & Gladiatoriæ artis Magiſter (Maeſtro Mayor de esgrima). In Regis Sacello quadraginta duo miniſtri, inter quos & Eleemoſynarius Magnus, ſuſtentantur. Muſicæ concentibus multi quoque nummi impenduntur, eoque in collegio ſunt Magnus Cantor, Sacelli præfectus, duodecim cantores ſupremam vocem ſonantes, (Monezillos) quadraginta quinque cæteris vocibus deſtinati, & Baſſiſta (Baxo) ut vocant cum Organorum magiſtro, aliiſque viginti hominibus inter quos ſex decumana barbito ludentes (Violones de arco)

orco) & duo cornicines. Extra Regis aulam quadraginta Sacellani annuis ſtipendiis aluntur. Apud Regem commorantur Pater Confeſſionarius, & tres concionatores. In Regio Equiti diverſis numeribus diverſi præſunt: Supremus Equitis Magiſter (el Cavallerizo Mayor) quinque alii Magiſtri, quatuor equorum Domitores (Picardores), quatuor Maceros, vel Maſſiers; quinque; Feciales (Rexar de Armas) quinquè; Stationum & hoſpitiorum deſignator unus, aliorumque ejus farinæ turba haud exigua, quorum centum & ſeptuaginta numerantur, ac ex ipſis octoginta, qui ſervilia in equili munera obeunt. Plures quoquè inveniuntur Ephippiorum miniſtri, & Confectores, Rhedarum fabri, Lignarii & Ferrarii Fabri, Arcabuſier, viginti quatuor Carrucarii quatuor & viginti Carrucis regendis præfecti; & duodecim lecticarii ſex lecticis & duodecim mulis gubernandis inſervientes. In Mulorum ſtabulo quinquaginta muli aluntur, quorum cura ſupremo Magiſtro (Azemilero Mayor) ejuſdem vicario, & aliis ejuſmodi hominibus commiſſa eſt. Suſtentantur itidem à Rege duodecim pediſſequi, octodecim Muſici diverſis inſtrumentis Muſicis ludentes, Venatorum Magiſter Venatoribus,

aliiſque rei venatoriæ operam dantibus, ac plurimi alii functionibus in aulâ publicis occupati, de quorum omnium tam dictorum quàm aliorum muneribus, ac annuis ſtipendiis *Ambroſius de Salazar in inventarii ſui* (*Almoneda General de Reyno de Eſp.*) *c.* 10. prolixam mentionem facit. Omnium commemorationem ampliorem hujus loci anguſtiæ recuſant.

15. Per totam Hiſpaniam ſparſa offenduntur collegia, & Curiæ Regiæ juſtitiam adminiſtrantes, de quorum vitâ, & quomodo ſe geſſerint, antequàm in ſenatum admittantur, imò ipſo illo tempore, quo munere mandato funguntur, ſeriâ inſtituitur inveſtigatio, ut aut malè ſe gerens meritâ pœnâ caſtigetur, aut contrà ad altiorem dignitatis gradum provehatur, ſi benè ſe geſſerit. Tale Judicium Perquiſa, Judices autem aut Commiſſarii Perquiſidores vel Viſitatores, & Syndici ab *Alfonſo de Azevedo* appellantur. Primum Conſilium, ſeu Senatus primus eſt ille, qui ſtatus Conſilium (Conſeio de Eſtado) appellatur, in quo Rex ipſe Præſidis ſubſellium occupat, & cum duobus Cardinalibus, ex quibus Toledanus ſemper unus eſt, ac duobus Hiſpaniæ Optimatibus de ſupremâ Regni totius provinciarumque omnium ſalute deliberationem

ſuam inſtituere ſolet. Adjuncti ſunt duo Secretarii, qui quæ Regnum concernunt, ſcriptis mandant. II. Altera Curia Conſilium eſt Regium, in quo de Regni proventibus, tributis, & vectigalibus aliiſque negotiis deliberari & appellationes audiri ſolent, ad quod ab aliis Judiciis, quæ Chancillerias *Marineus* autem Conventus Juridicos appellat, Valladoledo nimirum, Granada, Navarra, Audientia Hiſpalenſi, & Audientia Gallicienſi provocatur, ſi modo litis pretium decem Morapetinorum, vel Marvediſiorum millia ſuperet. Præſidis in hoc Senatu munus maximi fit, proximaque ferè à Rege dignitas eſt. Omnes totius Regni tam civiles quàm criminales actiones dijudicat. III. Conſilium bellicum. IV. Conſilium Italicum ſeu Senatus Italicus, in quo proponuntur, quæ provincias & loca Italiæ finibus incluſa concernunt. V. Conſilium Ordinum Militarium, (Conſeio de Ordenes) ſeu Conſilium aut Senatus Equitum Auratorum, in quo omnes trium Ordinum Equeſtrium, S. Jacobi puta Calatravæ, & Alcantaræ deciduntur. VI. Senatus Aragonicus, ſeu Aragoniæ conſilium, Aragoniæ, Cataloniæ, Valenciæ, & inſularum circumjacentium negotiis expediendis deſtinatum. VII. Con-

Conſilium Indicum Indicas res tractans. VIII. Conſilium patrimonii, & ærarii Regii Hiſpanis Conſeio de Haſienda nuncupatum „ cujus Senatoribus redituum, & ærarii Regii cura commiſſa eſt. IX. Conſilium Rationalium, in quo Rationibus agendum. X. Huic accedit aliud, in quo Rationes ad novum examen reducuntur, aliæ que item impenſę & expenſæ, quæ Regiam aulam concernunt, inſpiciuntur. XI. Cameræ Conſilium, quod eorum curam gerit, qui bene ſe gerendo renumerationes debitas meruerunt, ac eos publico venia liberat à pœnis, qui capitis damnati, in exilium ejecti, aut ad triremes relegati ſunt. Donorum Regiorum rationes in eo quoque putantur. XII. Conſeio de Deſcargos, in quo æris alieni à Rege contracti rationes conficiuntur. XIII. Conſilium Foreſti (Conſejo de Boſques) ea tractat, quæ ad ſylvas, & nemora pertinent. XIV. Conſilium Inquiſitionis (Conſeio de Inquiſition, & Officio ſanto Hiſpanis) primò contra Mauros & Judæos conſtitutum poſtea quoque ad Catholicæ Religionis conſervationem dilatatum eſt. Huic Senatui præſidet Archiepiſcopus Toledanus Inquiſitor Generalis, qui nonniſi cauſis prægnantibus impeditus præ-

ſtò ſemper adeſſe debet, & mille ac ſex centorum & quatuor nummorum aureorum mercede annuâ fruitur. Adjuncti ſunt huic ſex Inquiſitores, quibus octingentorum aureorum, ſeu Ducatorum penſio annua ſolvitur. Sunt Monachi Prædicatores, ſeu Dominicani, ut vocantur, qui in conſeſſu ſecundum locum obtinent. Franciſcani enim primum, ipſi alterum, Jeſuitæ tertium, & Clerici quartum locum occupant. Cætera munera gerunt Fiſcalis octingentorum aureorum; Duo Secretarii unus ex Caſtiliæ alter ex Aragoniæ regno; uterque ducentorum ſexaginta ſeptem aureorum annuâ penſione fruens; Unus ex nobilitate præcipuâ, qui alicubi Alcalde, aut Conſul fuit, octingentorum, & quod excurrit, aureorum ſtipendio merens; Curator pœnarum, ſuppliciorum, & bonorum ærario ſeu fiſco adjudicatorum, cui eadem cum præcedente penſio quotannis ſolvitur. Viginti miniſtri palliis ex orychalco crucibus inſignitis ornati, & hæreticos comprehendentes, ac accuſantes, qui octoginta aureos laboris præmium ſingulis annis ferunt. Ejuſmodi delatorum per Hiſpaniam totam viginti millia numerat *Salazar*, quod fidem excedere videtur. Secretæ Inquiſitionis quoque Fiſcali pluſquam

quam octingentos aureos quovis anno numerari dicunt. Tandem eſt Solicitador, cui totidem pro numeris ſui cura ſolvitur. Inquiſitionis Collegia inveniuntur Granadæ, Hiſpali, Cordubæ, Murciæ, Valenciæ, Barcelonæ, Valladoledi, Toledi, Cuencæ, Logromi, Ulyſſiponæ in Luſitaniâ, Eboræ, & Coimbræ vel Conimbræ. Reus bis coram Sancto hoc Senatu ſiſtitur, & obſcuro carceri feneſtris carenti, & nonniſi parva foramina habenti, ita ut à nemine conſpici queat, includitur. Oſtii ut plurimum inſcriptio hæc eſt: *Exurge Deus, & judica cauſam tuam.* Cum ex rei examine & confeſſione, eum Judæum eſſe, & mortem expetere, liquet, in ſupplicii publici locum deducitur, quaſi theatrum quoddam erectum habentem, cum altari, ubi poſt miſſam celebratam concio habetur, ac damnati delicta commemorantur: quibus peractis miſeri flammis exuſti bona ærario publico ſeu fiſco adjudicari ſolent. Sin Judæum ſe eſſe negat, & tamen Judæus eſſe convincitur, laqueo ſuffocatus rogo comburendus imponitur ut noſter *author N N*: memoriæ prodidit. Videantur *Wolfius Tom. 2. lect. memor. fol.* 617. *Lazarilli de Tormes vita part. 2. cap.* 12. *pag.* 109. *editionis Parienſ. de anno* 1620. *Reginaldus*

bus Conſalvius de Hiſpan. Inquiſitione; Cranius de pace Religionis pag. 2. probl. 2. p. 207. & Aubertus Miræus in Chron. ad annum 1481. ubi Inquiſitionem miris in cœlum laudibus effert. In Lutheranos & Hugenotas hodierno tempore remiſſius inquiritur, & non publico ſed clandeſtino ſupplicio animadvertitur. Non enim, ut olim ita hodie cum Inquiſitione illâ comparatum eſt, ut idem *author N N*: refert. adeò ut non amplius tam crudeliter in quemvis graſſetur. Præter dicta Conſilia Mantuæ Carpetanorum quatuor ſunt Judices, quorum Juriſdictioni omnes civiles & criminales actiones ſubjiciuntur, quæcunque circà Regiam metropolin quinque Hiſpanicorum milliarium, ſeu viginti mille paſſuum ſpatio ſe offerunt. Triginta quoque ibi ſunt Apparitores, (Alguaziles) & plurimi Scribæ ſanguinis, quorum quiſque proprium ſuum domicilium & carcerem habet. In cæteris Urbibus ſupremi ſunt Judices aut Conſules qui ſuo arbitrio Senatuum miniſtros, apparitores, lictores, ac reliquos ejus farinæ homines eligunt. In Civitaibus ab Hiſp. Ciudades nominatis, quibus, aliæ urbes, municipia & pagi ſubſunt, Corregidores ſupremorum Judicum munus obeunt & eandem cum provinciarum gubernatoribus

bus poteſtatem obtinent, Conſul Mantuæ Carpetanorum Alcalde Hiſpali Aſſiſtant, Granadæ Gubernator, Luegi Criminal, & in urbe Arcos atque aliis in locis Corregidor appellatur. Baculum ſex pedes longum, cujus apex argenteo Regis inſigni ornatur, ut plurimum manu geſtant, & eos captivos faciunt, qui pugnis & digladiationibus mutuis pacem publicā turbant. Debitorum cauſa neminem comprehendere audent, niſi ipſis à criminalium actionum Præfectis, qui Prætoribus aut Judicib. Civitatum apud nos comparari poſſunt, permiſſum ſit. In quarumvis civitatum macellis Præfecti ſunt, qui carnem emptoribus appendendo cavent, ne à Lanionibus circumveniuntur. In omnibus ferè urbibus & pagis conſortium aut fraternitas quædam occurrit, quam Hiſpani Hermandad nuncupant & tanquam ſanctam ſummâ reverentiâ colunt. Equis inſidentes, baculumque album manibus tenentes, ac ſe ipſos magni facientes paſſim vias, municipia, & pagos perluſtrant, quorum ſi quis in pago aliquo vel minimum baculo ſuo præcipiat, perinde habetur, ac ſi Rex ipſe juſſiſſet. Si forſan ſe quis opponens occideretur, delictum impunè abit. Maleficos & delinquentes in viâ deprehenſos ejuſmodi

fratres vinculis conſtringunt. Qui intra urbem peccant, aut ruri peccantes in urbis vallum evadunt, ab eorum poteſtate liberi ab urbis Conſule comprehendi ſolent. Reperio quidem, quod præſens Rex Philippus IV. A. 1623. ejuſmodi Fraternitatem cum Conſervatoribus, qui titulos, & publicorum numerum dignitatem dijudicabant, abrogaverit: Num autem ipſa hæc Fraternitas narratione illâ intelligatur, affirmare certò non auſim. Luſit., Navarræ, Valenciæ, Aragoniæ, & Cataloniæ regno ut *author N N*: tradit à Regis Vicariis ſeu Proregibus gubernantur, qui tanquam ſecundi à Rege in Regnis ſibi concreditur civilium & criminalium actionũ judicandarum ſummam poteſtatem obtinentes propriam aulam, & cuſtodiam corporis peculiarem habent. Ut plurimum quovis triennio mutati novis locum cedunt, qui à Regni Magnatibus, Comitib. & Dominis inſigni pompâ introducuntur: Regem verò ipſum ſoli Principes magno apparatu excipiunt, de dictis Collegiis, Judiciis, Senatoribus, miniſtris, eorumque reditibus annuis conſule ſæpe nominatum *Ambroſium de Salazar c.* 9. **Joh de Laet** *cap.* 5. *& D. T. U. Y. in deſcriptione Hiſpaniæ ſub titulo Gouvernemens d'Eſpagne.* Agit autem dictus **de Laet** etiam de

de Regni Aragoniæ (ubi leges, fori, & Magiſtratus Juſtitia vocantur) rectione, comitiis, & nobilitate, ut & Luſit., & Ulyſſip. urbis gubernatione. Inferiores Magiſtratus primam inſtantiam habent, & impunè prætetiri non poſſunt. Ab ipſis provocare licet ad ſupradictas Cancellarias, & Audientias, ac Curias, ſive Parl., ut & in *Luſit.* ad Jud. & *Senat. Cameræ*, quæ Curiæ omnes tamen in primâ inſtantiâ nullam admittunt litem, niſi viduarum, orphanorum, & ejuſmodi perſonarũ, quibus miſeris neceſſario ſuccurrendum eſt. Sed cauſas provocationis jure ex Regnis, & à minoribus Judiciis ad ſe traductas dijudicant. Sententia in ejuſmodi Curiis lata, ſi cum illa conveniat, quam minor Judex tulit; parti condemnatæ altera provocatione ad eandem Curiam litem deferre licet, cui mox ex Senatu Curiæ Judex datur, qui lite denuò inſpecta & examinata tandem ſententiam ultimam fert, à quâ porrò ad aliud Judicium provocare integrum non eſt, niſi decem Maravediſiorum millia ſumma ſuperet, ut ſuperius indicavimus. Noſter *author N N*: & *D. T. U. T.* de quater mille aureis nummis dicunt, quod veritati magis congruere videtur. Litis pretio ſummam illam excedente ad Conſilium Regium, tanquam

ad ſummum Cameræ Judic. appellatione litem transferre conceſſum eſt parti, quæ cauſa cecidit, eâ tamen conditione, ut mille & quingentos ſecundum *D. T. U. T.* aut mille & quadringentos dublones, quos *Azovedo* duplas appellat, ſecundum **Joh. de Laet** in judic. deponat. Cauſa quatuor Conſiliariis aut Senatoribus Regiis examinanda & dijudicanda committitur. Si quatuor illi ad hanc rem deputati ſententiam cum priore conveniente contra provocatorem tulerint, pecuniæ depoſitæ jactura mulctatur. Ea ſic dividitur, ut quingenti dublones in ærarium Regium deferantur, quingenti adverſario tradantur, & reliquis quingentis pro injuriâ acceptâ ſatisfiat Judicibus prioribus, quibus ad Conſilium Regium provocavit, contra quem ſententia lata eſt. In criminalibus & capitalibus delictis ſine ullius perſonæ reſpectu admodũ ſeverè juſtitia exercetur, & condemnato nulla provocandi poteſtas conceditur. Vix ulla Regio inveniri dicitur, quæ ab homicidis & latronibus tàm libera & immunis eſſe credatur, quam Hiſpania, quamvis ſuperioribus annis Aragonia, & Catalonia ejuſmodi maleficorum nomine non benè audierit. Paſſim vero patibula, & in arboribus laquei tàm ſeveræ juſtitiæ indicia in conſpectum cadunt.

16. Con-

16. Concluſionis loco jam de harum Regionum Dominis ac Regibus pauca dicenda. De antiquis nil certi habemus quod proferamus. Nam quæ de *Thubalo Noæ* Patriarchæ nepote, ejuſque poſteris ex *Beroſo* & aliis afferuntur, parum veritati congrua videntur, præcipuè cum Tubalæi populi non in Europâ ſed Aſiâ ſedem ſuam habuerint: *P. Merula part. 1. Coſm. lib. 3. cap. 14. fol. 146. item pag. 2. lib. 2. cap. 9. fol. 231.* Vide de Regibus ac populis Hiſpan. à Thubal uſque ad Carthaginenſes *Joh. Vaſæum in Chron. cap. 10. & Fr. Tarapham, itemque Anton. Beuter. in Chron. Hiſpaniæ.* Iberus, Tagus, Betus &c. non ſunt Reges, ſed flumina. Celtas, qui primi in Hiſpaniam venerunt, proprios ſuos Reges habuiſſe, dubium eſt nullum. Quæ tamen ipſorum nomina fuerint, quis dicet? Nec *Beroſi* figmenta mera hic alleganda, ut alio in loco, *cap.* nimirum 1. *mei Itinerarii Germaniæ* 43. *pag.* indicatum eſt. Inſpice etjam *Goropium Becanum in Hiſpanicis, & in Originibus Antwerpienſibus lib.* 4. *pag.* 340. *Ludovicum Vivem, Benedictum Pererium in Danielem, Anton. Auguſtinum Antiquit. Rom. & Hiſpan. dial.* 11. *Gaſp. Barrerium in peculiari libello, de Beroſo, Manethone, Methaſthene,* & ſimi-

milibus fictis ſcriptoribus ab *Annio Viterbienſi* productis, & *L. Nonium de Hiſp. c. 85. p. 263. edit. Antw. anno* 1607. Temporibus ſequutis Afri & Carthaginenſes Hiſpaniam poſſederunt. Eam his Romani eripuerunt. A Romanis ejuſdem poſſeſſio devoluta eſt ad Wandalos aut Vandalos, ac poſtea ad Suevos, Alanos, & Gothos, in quorum poteſtate Regiones Hiſp. ab A. ſalutis 369. vel 400. aut 410. ſecundum aliorum calculum, uſque ad annum 713. aut 14. hæſit. De Vandalis, Alanis, Suevis, & Gothis conſulantur *Vaſæus cap.* 14. *&* 15. *Ludovicus Pontius cap.* 20. *lib. ſingulari de las grandeſas de Tarragona, & ante eos Iſidorus Hiſpalenſis de Gothis, Wandalis, & Suevis.* Anno autem illo 14. aut 15. *Rodrigo* vel *Rodericus* Gothorum Rex, & una cum ipſo antiquiſſima Gothorum Nobilitas tota cæſa eſt à Saracenis, eo quod *Cavam Jul.* Comitis, & ſummi Andaluziæ Præfecti filiam invitam ſtupraverat; cujus vindicandæ cauſa Arabes & Mahumetiſtæ, aut Saraceni poſteà Mauri appellati à Patre accerſiti, & in Hiſpaniam ex Africâ allecti ſunt: Vide *Alfonſi Villadiegi Aſturicenſis commentarios in forum Judicum: Joh. Marianam de reb. Hiſpan. lib. 6. cap. 21. & ſeqq. & alios Hiſpaniæ Hiſtoricos:* Ex qui-

quibus conſtat, quod Regionum Hiſpanicarum adminiſtratio & poſſeſſio tunc temporis Saracenis obtigerit. Gothicæ Nobilitatis reliquiæ, ut *Mariana lib.7.cap.1.pag.169.* docet, in Aſturiam, & ejuſdem montes evaſit, ibidemque anno 716. *Pelagium* Regio Gothico ſtemmate oriundum Regem creavit: cujus poſteri *Legione*; in *Caſtiliâ*, *Navarrâ*, Aragoniâ, & Luſitaniâ rerum Summæ præfuerunt, poſtquam Saracenos, Moriſcos, vel Mauros Chriſtiani ſenſim, oppidis & civitatibus occupatis, hinc inde ex provinciis Hiſpanicis exegerunt, ut *Mariana cap.ultimo lib. 25. & Salazar pag. 58. & ſeqq.* referunt. Tandem *Ferdinandus* Rex Maurorum reliquias ex Granadæ regno & Urbe, quo ſe receperant, anno 1492, ejecit, & Saracenicum Hiſpaniæ dominatum finivit. De Gothicis uſquè ad *Rodericum*, & Mauris Regibus, cæteriſque à *Pelagio*, & iis, qui Legionis, Caſtellæ, Navarræ & Aragoniæ regnis uſque ad *Ferdinandum* imperarunt, legantur ſcriptores Hiſpanici, ex quibus *Salazar* catalogum ſuum contexuit. Item *D. T U.T. Sanſovinus*, *Elias Reuſnerus*, *Albizius*, *& alii*, qui Principum Genealogias ſcriptis mandarunt; ut & Johannes de Laet *in deſcriptione Hiſpaniæ cap.21.*

Mun-

Munſteri Coſmographia lib. 2.*cap.* 34. *ſeq. fol.* 106.*ſeqq. ultimæ editionis anno* 1628. *Ferdinandus Catholicus* Aragoniæ & Siciliæ Rex, *Johannis* ex Caſtellæ Regum proſapiâ oriundi Regis filius matrimonio ſibi junxit cognatam ſuam *Iſabellam*, Caſtiliæ ac Legionis regnorum hæreditariam Reginam, atque ita conjunxit tria illa Caſtiliæ, Legionis & Aragoniæ regna, & cæteras ipſis adhærentes Regiones, quibus, uti dictum eſt, etiam acceſſit Granadæ regnum, ac poſtea Navarræum ac Neapolitanum Galliæ Regi erepta regna, de quibus in *Itinerarii Galliæ & Italiæ* prolixius egimus. Præter has & regiones multæ in orbe novo aut America illius Regis ætate inventæ ejuſdem potentiam mirum in modum auxerunt. Ex dictâ uxore ſuâ anno 1504. defuncta ſuſcepit filium *Johannem*, qui *Margaritam* Imperatoris *Maximiliani I.* filiam uxorem duxit, & ſine liberis ex hâc vitâ diſceſſit. Hinc filia *Johanna* patri *Ferdinando* & fratri *Johanni* ſuccedens, ac ejuſdem Imperatoris *Maximiliani I.* filio *Philippo I.* Auſtriæ Archiduci nupta Cæſares duos *Carolum V.* & *Ferdinandum*, ac aliquot filias peperit, ac Hiſpaniæ regnis Auſtriacam domum ditavit, Carolo Imperatori in diviſione Hiſpaniæ regna cum Belgi-

Belgicis Provinciis & Burgundiâ obtigerunt, accedente tandem etiam Mediolanenſi Ducatu, Succeſſorem habuit *Philippum II.* qui magnam Belgicarum Provinciarum partem bello quidem perdidit, ſed contra Luſitaniæ, Algarbiæ, omniumque Regionum in utrâque Indiâ ad Luſitaniæ Reges pertinentium compos factus eſt. Nam cum *Don Sebaſtian* Luſitaniæ Rex anno 1578. in prœlio Africano periiſſet, major autem cognatus *Henricus* Rex paucis annis poſt nimirum anno 1580. ſine liberis fato functus eſſet *Philippus* ex primogenitâ *Emanuelis* Luſitaniæ Regis filiâ *Iſabellâ* natus hæreditario jure ſibi oblatum Regnum occupavit. Quanquam *Don Antonius* Luſitanus, *Prior Cratenſis*, qui Anno 1595. Pariſiis animam efflavit, *Emanuel Philibertus Sabaudiæ Dux*, *Catharina* Luſitana Bragantzæ Duciſſa, *Alexander* Parmæ Dux *Reinutii* filii nomine, ac tandem *Catharina* Medicæa Galliæ Regina(vide *hiſtoire des derniers troubles arrivez en France lib.*1 *pag.*18. *edit.Pariſienſ.de anno* 1626) omnes quidem Regni poſſeſſionem hæreditariam ad ſe pertinere contenderunt. Præcedentium Luſitaniæ Regum ortus repetitur ab *Henrico* quodam, cui Caſtiliæ Rex *Alphonſus VI.* filiam *Taraſiam*; vel

vel *Tereſiam* cum Luſitaniâ dotali ſub Comitatus titulo nuptum elocavit. Hunc quidam Limpurgi Principem, alii Lotharingiæ ducem, nonnulli Burgundiæ Ducis *Roberti*, qui Hugonis Capeti nepos fuit (*Thuan.lib. 6.hiſt.fol.*236) nepotem faciunt. Legē *Roder. Toledanum*, *Rod. Sanctium*, *L. Marin. Siculum*, *Joh. Barrum cap.*1. *Aſiaticum Decadum*, *cum pluribus aliis*: Principes autem & Reges iſto ut ſilentio prætereamm, ex ultimis fuit *Eduardus*, cujus filiam *Leonoram* Imperator *Fridericus IV.* uxorem duxit. Hunc *Eduardum* ſequutus eſt ex filio *Ferdinando* nepos *Emanuel* Rex, cui anno 1521. Regis *Ferdinandi Catholici* filia peperit filium *Johannem III.* qui in patris locum ſuccedens præter alios filios ex Imperatoris *Caroli V.* ſorore ſuſcepit *Johannem* & *Mariam* Hiſpaniæ Regis *Philippi II.* uxorem. Hujus *Johannis III.* ex filio *Johanne*, & *Joanna* dicti Hiſpaniæ Regis *Philippi II.* ſorore ac Imperatoris *Caroli V.* filia nepos erat Rex *Sebaſtianus*, qui anno 1578. in prœlio uti diximus, regno & vita exutus eſt. Eum ſequebatur patruus *Henricus Emanuelis* nominati filius, qui, ut ſuprà monuimus, anno 1580. ſine liberis expiravit. Præter hos duos filios *Johannem III.* & *Henricum* Re-

ges

ges alios etiam liberos eidem Regi *Emanueli* fuiſſe conſtat. *Hieron. Oſorius de rebus Emanuelis Luſitan. Regis. Iſabella* Imperatoris *Caroli V.* conjux, & *Philippi II.* Hiſpaniarum Regis mater: *Beatrix Carolo* Sabaudiæ Duci nupta. *Ludovicus*, cujus filius illegitimus erat *Don Antonio* à Luſitanis anno 1580. Rex electus, ſed poſtea victus, & in exilio mortuus: *Ferdinandus*, *Alfonſus*, & *Eduardus*. Hic ultimus filius *Eduardus* duas reliquit filias, quarum major natu Maria *Alexandro Farneſio* Parmæ Duci, & minor natu Catharina *Johanni* Bragantzæ Duci in Luſitaniâ nupſerat, & tum temporis in vivis erat, cum Henricus ultimus Rex diem obiret. Nam major natu ſoror jam ànno 77. ex vivis exceſſerat. Ex his omnibus apparet, quid juris in Luſitaniæ Regnum quiſq; ſibi arrogare potuerit. Conſulantur *Hieronymus Coneſtagius in hiſtoriâ de Portugalliæ conjunctione cum Regno Caſtellæ lib.* 3. *Jac. Auguſtus Thuanus lib.* 65. *hiſtoriarum*: *Chriſtianus Beſoldus de de ſucceſſ. quæ Regni ſit jure lib.* 1. *diſſert.* 13. *nu.* 8. *ſeqq. pag.* 140. *ſeqq. & in conſulationibus vol.* 1. *conſil.* 1. *Medicæa* Galliæ Regina, jus quod ſibi in Luſitaniæ Regnum arrogabat, longè petita generis ſui derivatione ſtabilire conabatur: à

Re-

Rege *Alphonſo VI.* videlicet, & *Matilde* Bononiæ Comitiſsâ, à qua generis ſui ortum deducebat, quanquam ea adhuc vivente aliam uxorem *Alfonſus* duxit, & ita ejus poſteros ſucceſſionis non capaces putavit. Hinc iniquum ejus poſtulatum judicabatur, adeo ut *Hiſpaniæ Rex Philippus II.* qui Theologis, & Juriſconſultis jus ſuum examinandum & diſceptandum propoſuerat, & cum Bragantzæ Duce certis conditionibus convenerat, Luſitaniæ Regni compos factus fuerit. Hunc Regem toto vitæ tempore ſeptingentos circiter auri milliones conſumpſiſſe ferunt. Ex *Anna* Cæſaris *Maximiliani II.* & Sororis ſuæ Germanæ filia genitus eſt ipſi Rex *Philippus III.* anno Sal. 1621. mortuus. Ejus liberi fuerunt *Philippus IV.* vi. Id. Aprilis anno 1605. *Carolus* anno 1607. *Ferdinandus* anno 1609. *Anna* Galliæ Regina anno 1601 & *Maria* Imperatrix ac Hungariæ & Bohemiæ Regina xv. Kal. Sept. anno 1606. in lucem ſuſcepta. Ex his *Carolus* in vivis eſſe deſiit & *Philippus IV.* liberos procreavit. Vide *caput* 6. *Itinerarii mei Germaniam pag.* 162. *& ſeqq.*. ac de Hiſpaniâ in genere præter authores hactenus citatos etiam *Idacinum*, *Maximum*, *Iſidorum*, *Iulianum*, *Lucam Tudenſem*, *Alphonſum*

ſum Kartaginenſem, Franciſcum Tarapham, Michaelen Ritium Neapolitanum, Petrum Medinam. Gregor. Lopes de las excelentias de la Monarchia y Regno de Eſpanna, Alphonſi Chronicon., Reſendi Hiſpaniam illuſtratam, Annales Curitæ. Ant. Nebriſſenſem, Laurentium Vallenſem in hiſtoria Ferdinandi Aragoniæ Regis l. 1. Anton. Beuteri Chron. Hiſp. & alios plures, qui à P. Merula part 2, Coſmagr. lib. 2. cap. 9 fol. 233. citantur.

CAPUT. II.

Iter Burdegala & Bayonna ex Galliâ Mantuam Carpetanorum in Caſtiliam, inde Ulyſſiponam in Luſitaniam, ex eo loco Hiſpalim, Granadam, Valentiam, Tortoſam, Tarrogonam, Barcelonam, Sarragozam, & per Cominges comitatū Tholoſam in Galliam viatores deducens.

ARGUMENTA.

1. De urbibus Baxas, Dax & Bajonnâ.
2. De Biſcajâ regione & urbe Bilbao.
3. De Galliæ & Hiſpaniæ finibus, ac Pyrenæis montibus.
4. De Regione Guipuſcoâ.
5. De S. Baſtiani urbe, vel Donaſtico, & Toloſâ Guipuſcoæ metropoli.
6. De S. Adriani monte.
7. De Alavâ regiunculâ, & ejus metropoli

poli, Victoria.
8. De Caſtellæ vel Caſtiliæ Regno, urbe & Academiâ Salamancâ, & Siguenzâ ac Avilâ urbibus.
9. De Burgos veteris Caſtiliæ metropoli.
10. De S. Laurentii monaſterio celeberrimo in Eſcuriali Novæ Caſtiliæ pago.
11. De Novâ Caſtiliâ, & Mantuâ Carpetanorum ſede Regia, & Pardos domo Regis voluptuariâ.
12. De urbe Alcalâ de Henarez, ſive Compluto, ejuſque Academiâ.
13. De Aranjues domo Regis voluptuariâ.
14. De Novæ Caſtiliæ metropoli Toledo.
15. De Regione Eſtremadurâ.
16. De celebri Urbe & monaſterio Guadalupo.
17. De Urbe Merida, vel Auguſta Emerita.
18. De Badajos Eſtremaduræ metropoli.
19. De Luſitaniæ & Algarbiæ Regnis.
20. De Luſitaniæ metropoli Ulyſſiponâ.
21. De Andaluſiæ regno.
22. De urbe S. Lucar de Barrameda.
23. De portu el Puerto de S. Mariâ.
24. De Cadiz, vel Calis Maiis, aliâs Gadibus inſula.
25. De urbe Gibraltar, & Freto ibidem anguſto, Eſtrecho di Gibralter, ſive Freto Herculeo, columnis Herculis, & Septâ vel Centâ Africæ monumento.
26. De Urbe Xeres, vel Xeres de la Frontera.
27. De Hiſpali Andaluſiæ metropoli.
28. De Urbe Cordubâ.
29. De Regno & Urbe Granadâ.
30. De Murciæ Regno.
31. De Urbe Cartagenâ.
32. De Urbe Murciâ.
33. De Regno Valentiæ.
34. De Urbe & Portu Alicante.
35. De Urbe Valentiâ.
36. De Urbe Sagunto, quæ hodie Morvedro,
37. De Regno Catalo-

niæ & Comitatu Roſſilonenſi.
38. De Urbibus Tortoſâ, & Tarrocon, vel Tarragonâ.
39. De Cataloniæ metropoli Barcinone, vel Barcelonâ.
40. De Celebri monaſterio Montſerrate, & Urbe Leridâ vel Ilerda.
41 De Regno Aragoniæ.
42. De Aragoniæ metropoli Saragozâ, & Comitatu Cominges.

SEquens hoc iter fecit in præcedentibus ſæpè citatus *author N N*: cujus deſcriptionem mihi bonus quidam amicus impertivit. Quoniam verò nulla unquam talis in lucem edita eſt, ac dolendum ideo eſſet, ſi in obſcuro latitans blattarum ac tinearum eſca foret, & in aliorum commodum & utilitatem non proderetur, eam communem facere & in publicum producere pretium operæ duxi, authoris tamen nomine diſſimulato, cum neſciam, an adhuc aura vitali veſcatur, & ipſi gratum accidat, ſi nomen ejus deſcriptioni huic ſuæ præ figeretur, quod futuro tempore forſan in alio tractatu fieri poterit. Ex aliis autem authoribus in Regionum præſertim, Regnorum & Urbium deſcriptionibus plura adjeci, eâ ſpe fretus, non dicta authori ſolummodo, ſi nondum inter vivos eſſe deſiit, ſed & lectoribus

bus cæteris me rem gratam facturum. viii. Aprilis ex Galliæ urbe Burdigalâ, cujus deſcriptio in *Gallico meo Itinerario cap.* 5. *pag.* 324. *ſeq.* reperitur cum Comitibus ſuis Germanis diſceſſit, & eodem die incultam terram peragrans quinque equis curſoriis ſpacia curſoria, ſequenti peræquè arenoſum, & humidum ſolum octo, & tertio quatuor confecit, ac pervenit.

1. *Bayonnam* Burdigalâ triginta quatuor milliaribus Gallicis diſtantem. Unicuique comitum octoginta ſeptem & dimidiis ſolidis Gallicis (Solds) quorum ſinguli duos cruciferos Germanicos aut ſtuferum Hollandicum valent, ſolvendi erant. In deſertâ hâc regione inter Burdigalam, & Bayonnam vix unicum aliquem pagum ſe offendiſſe ait. Alia vero via eſt, quæ per vicum Caſtres Pondanſacum, & ad urbem Bazas viatores ducit. Urbs hæc Vaſatæ Latinis, in territorio, cui nomen Bazadois ſita, & unius diei itinere ab urbe Burdigalâ remota eſt. *Hubertus Thomas Leodius* in deſcriptione vitæ Electoris *Friderici II*, anno 1516. diſtantiæ huic novem milliaria attribuit. Bazas urbs eſt Epiſcopalis arenoſo & deſerto loco incumbens, ſi plagam ſeptentrionalem excipias, quæ frumenti, vini, & fru-

& fructuum ferax re pecuariâ quoque abundat. Vide *Sidon. Apollin. lib.* 8. *epiſt* 11. ubi ſoli Vaſatici deſcriptio. Ab urbe Bazas via territorium permeat incultum deſertum, ac gramine, arboribus & herbis deſtitutum, ut *Leodius* narrat. In viâ occurrunt aliquot viles urbeculæ, nempè Captieux 3. Rochefort 4. Montmarſan 3. (quem locum *Franciſcus de Rues* in Galliæ deſcriptione ad Regiunculam Bazadois pertinere ait) Tarteſſe 4. & Dax 4. milliaribus diſtantes. Dax civitas in fluvii Adur margine locata, firmitudine ſingulari pollet, thermaſque ſanitati conducentes mœnibus includit. Sedes Epiſcopatus eſt, qui Archiepiſcopatus d'Auchs ſubjicitur. Curiam quoque ſuperiorem habet Senechauſſée dictam Gallis, cujus juriſdictioni Les Landes Bayonnois, & ſuperior Gaſconia ſubſunt. Dictum flumen ponte pulchro legitur; & quarta milliaris parte ab ipſo oppido foſſæ cernuntur tres, quæ aquis plenæ ſunt, quando lumine pleno Luna apparet, & eadem de creſcente & lumen amittente ne guttulam quidem aquæ exhibent, ut dictus *Rues pag.* 627. docet. Ex fonte extra urbem aqua ſalſa manat. Hinc ad pagum S. Vincenzo 3. ac inde Bayonnam 4. milliaria numerantur, quorum

rum collectorum ſumma reddit 34. milliaria, numerum priori convenientem, ſi non hallucinatus fuerit dictus *Leodius* qui Bayonna per pagos aliquot, per quos proculdubio author noſter etiam iter fecit, Burdigalam rediens triginta & uno tantum milliaribus intervallum inter utramque urbem intercedens metitur.

Bayonna ferè quater mille paſſibus ab Oceano ſejuncta, ut Merula* teſtatur & fluvio Gave pervia ac in fluminis Adur vel La Dove ripâ ſiniſtrâ ſedem ſuam obtinens inter firmiſſimas Galliæ civitates locum habet, & neminem præter Regem, Regio ſtemmate oriundos intromittit. Caput eſt Biſcàja incolarum, & Cantabrorum illorum, qui uſque ad fluvium Iron Galliam & Hiſpaniam ſeparantem habitantes Galliæ Regi parent. Circumjacens Regio Lapour; Lourde, & Les Landes appellatur, Epiſcopuſque hujus loci Archiepiſcopo Auchenſi ſubditus eſt. Hodie totum illum tractum Vaſaticum uſquè ad fluvium Aturrum vernacula lingua vocant Landas, hoc eſt, deſerta & inculta loca *Lanſius in orat. contra Galliam pag* 331. *edit.* 1. *in* 4. Author noſter cum comitibus ſuis in diverſorio aux trois marchands trans extremum pontem commorati ſunt.

IV. Id.

iv. Id. Aprilis Bayonna abierunt, in viâ multos colles obviam habentes, ac vilem locum littori maris aſſidentem prætereuntes, ubi multas in paſcuis oves lanam caprinis crinibus haud diſſimilem gerentes, & multa eremitarum domicilia viderunt. Adventantes excepit.

S. Jean de Luz Biſcajæ municipium. Nam dicto Lapordico tractu finito, Bayonna diſcedentes in eam Biſcajæ partem progrediuntur, quæ ad Galliæ Regnum pertinet. Biſcajam verò includunt Navarra, Guipuſcoa, Oceanus, & Aſturia. Pars autem illa Gallica, quæ Bayonnæ annexa eſt, uſque ad Iron fluvium ſe extendit; Reliqua, quæ Hiſpaniarum Regi ſubditur, undecim milliaria Hiſpanica tàm longitudine quam latitudine comprehendit. Biſcajæ & Guipuſcoæ antiquum nomen eſt Cantabria. Cantabrorum veterum ſedes, de quibus *L. Nonii cap.*44. *de Hiſpania* legi poteſt. Cantabrica autem lingua non minus vetus, quam ſuavis mox in territorio Bayonnæ vicino initium ſumit. Videatur *P. Merula part.* 2. *Coſmogr. lib.* 3. *cap* 15. *fol.* 330. & *ſymbolum Apoſtolicum* Cantabricâ linguâ editum *fol.* 332. Biſcajæ loca ex viginti & uno, quæ mœnibus cinguntur, notæ præcipuæ ſunt

La-

Laredo, Vermeja, Ordogna, & Bilbao, quæ omnia Regis Hiſpaniæ dominatui ſubjecta ſunt. Bilbao totius regionis caput & inter omnes Cantabriæ urbes prima planitiem occupat, duobuſque ab Oceano milliaribus ſemovetur. Negotiationem haud exiguam, lanæ cumprimis, exercens in Portu admodum commodo quinquaginta circiter onerarias naves quotannis lana onuſtas in regiones exteras dimittit. Vili precio in hâc urbe vivitur, quam aëre ſano, & temperato frui dicunt. Ejus prolixam deſcriptionem quære apud *Caſp. Ens in deliciis apodemicis per Hiſpaniam pag.* 11. *ſeqq.* Biſcaja regio eſt montana quidem, & vinum ferre neſciens, adeò ut potus ex pomis confectus incolis ſit familiaris, ligniſque quamplurimis referta: Sed omnis generis fructus, & fruges tam larga copia ſuppeditat, ut decem maravediſiis tantam aureorum malorum copiam emi poſſe dicant, quanta uni mulo onerando ſufficiat. Caſtanearum, nucum, metallorum, ferri ac plumbi præcipue, plena eſſe fertur. Margaritas item in mari, in quod ſe littus protrahit, reperiri perhibent. *P. Merula lib.* 1. *cap.* 11. Incolæ cæteris Hiſpaniæ habitatoribus integriores & probiores habiti rem nauticam percallent,

lent, & id privilegii habent, ut nullis ve-
ctigalibus onerari poſſint. Eâ de causâ,
cum anno 1632. ſali novum vectigal im-
poſitum eſſet, cives urbis Bilbao omnes
Regis miniſtros tributum illud exigendi
gratia eò miſſos occiderunt, ac poſteà o-
mnes Magni Thalaſſiarchæ miniſtros,
cum ter mille militibus, qui eos punien-
di cauſa advenerant, trucidatos in mare
conjecerunt, ut in *Joh. Abelini Chronico-
rum continuatione fol.* 652.6. extat. Tur-
cicis pileis colore luteo aut rubro ninctis
fœminæ capita exornant; virgines inſtar
monachorum capita calva habent, &
ſervant, donec in matrimonium collocen-
tur.

Ut ad pulchrum illud Galliæ Regis
municipium S. Jean de Luz revertamur,
mare ibidem brachium ſeu æſtuarium
quoddam in terram inferens commercio-
rum opportunitatem haud exiguam of-
fert incolis, in quorum numero aliquot
Judæorum centuriæ inveniuntur. Unde
liquet, cum grano ſalis intelligendum eſ-
ſe, quod in Galliâ nullos Judæos eſſe di-
catur: Anno 1619. nova tamen bis mil-
le & quingentos ex hoc territorio Ba-
yonnenſi Judæos expulſos eſſe referunt,
eo quod hoſtia conſecrata abuſi fuerint.
Vid. *Daniel. Gruber de peregrinat. Stu-*

dioſor. corollar. nu. 40. In domo Veredariorum & equorum curſoriorum publica certi ſunt Regis miniſtri, qui omnia conſignant & notant, que profeſſione certâ indicantur ab iis qui ex Hiſpaniâ veniunt, vel in Hiſpaniam proficiſcuntur. Eapropter, etiam omnes authoris noſtri & comitum ejus, cum hac iter facerent, ſarcinæ excuſſæ, & perveſtigatæ ſunt.

3. A dicto municipio viâ ducit ad fluvium d' Iron, quo nomine à *Franciſco de Kues*, & aliis appellatur; *Serreus* in Franciæ Inventario eum Bidaſſo vel Margari, & locum, in quo Gallia & Hiſpania ſegregantur, ut A. 1615. utriuſque principis Galliæ & Hiſpaniæ Reginarum permutatio, facta eſt, Andajo nuncupat. *Author* autem noſter fluviolo dicto nomen Viteſco attribuit. Qui eum tranſierunt, mox cum alia terra aliam linguam offendunt, adeò ut lingua Gallica penitus pereunte fere nemo amplius reperiri queat, qui Gallico Idiomate utatur;

Iron vel *Tran* uno milliari ſejunctum à municipio *S Jean de Luz* oppidulum non grande admodum eſt ſed pulchro templo ornatum. In hoc ex Hiſpanicis oppidis primo occurrente viatores noſtri pernoctaverunt. Hic mos incipit, qui per Hiſpaniam viget, ut ſibi ipſis lactucas hoſpites

tes parent. E regione ad Oceani littus ſita eſt Fonterabia, vel Fuentarabia magni momenti munimentum quingentorum Hiſpanorum cuſtodiæ mandatum, quod mari vicino imperitat. Montes vicini Pyrenæorum montium portiones ſunt, de quibus ante diximus. Viatores noſtri hic aliquot mulos octo regalibus, ſeu quadraginta ſolidis Gallicis (ſouls) conducentes III. Id. Aprilis viæ ſe rurſus commiſerunt admodum lapidoſæ, & utrinque montibus Pyrenæis ſtipatæ. Hi arboribus plurimis conſiti fructibus plurimis abundant, fructuumque hic major, quam ullibi in Hiſpaniâ, proventus eſſe dicitur, & quidem talis, ut Caſtiliæ regno de pomis & aliis ejuſmodi fructibus, proſpicere queat. Incolæ ipſi ex pomis potum ſuum conficiunt. In viâ obviam fit Guipuſcoæ oppidulum Renteria quadragintis lapidibus conſtratum.

Guipuſcoia Regio (nonnullis Guipuſcoia, Lipuſcoia, & Hiſpanis Guipuxcoa dicta) Biſcajæ confinis à *D. T. U. T.* in *commentario des Eſtats du monde* flumine Vidoſone (Vidorſo, Aldvida, Huria, & Beryvia, vel Beoyvia aliâs nominato & Galliam ab Hiſpaniâ ſegregante) Pyrenæis montibus, Navarra, Biſcaja & Oceano determinatur, & locis his præcipuis

puis Denia, Eria vel Oria, S. Sebaſtian, Paſſagio, & Toloſetta inſignita eſſe dicitur. Mercatoris Atlas ab Oriente dicto fluvio Vidoſone, ac Pyrenæis montibus, à Meridie regno Navarræ, ab Occaſu Biſcaja, & à Septentrione mari Cantabris eam definit. Guipuſcoam Cantabriæ partem alteram Navarræ regno & Pyrenæis montibus hanc à Galliâ Regionem diſterminantibus conterminum, & ab Occaſu Biſcajam habere tradit. Qui fines cum prioribus conveniunt, ut & *Merulæ*, qui *part.2.Coſmogr.lib.2.cap.*12.eoſdem cum Atlante terminos ſtatuit. Hujus autem, & Biſcajæ Regionis ratio ferè eſt eadem, cum incolæ utrobique oneram publicorum immunitate fruantur. Hinc populoſa eſt Guipuſcoa, in quâ præter viginti ſex alios minoris notæ fluvios aquas ſuas diſpergunt. Primariam civitatem Toloſam vel Toloſettam cum cæteris in præcedentibus modo recenſuimus: Iis addi poſſunt Morrico & Placentia, ut & Fuentarabia, ut nonnullis videtur; Aliis ad Biſcajam munimentum hoc referre placet. Nam in utriuſque regionis diviſione Geographi in diverſas partes abeunt. Et locis iiſdem diverſas ſunt nomina, Cantabris hoc, Hiſpanis illo, Gallis alio nomine unum eundemque locum vo-

vocantibus, & proprii idiomatis genium ſingulis ſequentibus. Solum chalybe & ferri ſumma copia turgens Vulcani officina, & Martis armamentarium nuncupari meruit. Audiamus hoc teſtantia verba Ambroſii de Salazar in inventario ſuo ita loquentem: *Todas eſtas Provincias de Byzcaja y Guipuſcoa, des de Fontarabia frontera de Francia, haſta el cabo de finibus terre, y las des Aſturias, y Galicia ſon muy montannoſas, y de poco fructo: mas ſon buenas para paſtos de granados, y tan abundantes de minas de hierro; que puede baſtecer à todo el mundo.* id eſt. Omnes hæ Provinciæ, nimirum Biſcaja, Guipuſcoa, utraque Aſturia & Galicia à Fontarabiâ Galliæ contermina uſque ad promontorium Finiſterræ, montibus ſcatent, & parum feraces ſunt. Paſcuis tamen affluunt, & ferri adeò divites ſunt, ut toti mundo metallorum dictorum copiam ſufficere poſſent. *Author noſter N N*: piſcatu, & hortorum cultura plærosque incolas vitam ſuſtentare aſſerit. Prolixiorem Guipuſcoæ deſcriptionem quære apud *Stephanum Garybaium lib. 15. cap. 9. ſeq. & Florianum del campo lib. 1. cap. 2.*

A dicto oppidulo adventantibus eſt ſuperandus mons cujus ſuperficies tota

lapidibus conſtrata cernitur. Ad dextram Oceano appoſita civitas Paſſage, vel Paſſagio, & è regione pagus Leſſo oculis ſubjicitur. Frequentes hic officinæ ferrariæ opera fabrili & malleis ferrum in virgas longas redigentes. Monte ſuperato Germanum ſodalitium deſcendit in.

5. *S. Sebaſtiani* urbem ab oppidulo Iron trium milliarium intervallo abeuntem, & vulgare nomen Donaſtien ferentem, quia, ut *C. Ens in deliciis Apodemicis* ſcribit, anteà Don Baſtia, & corrupte Donaſtia nominabatur. *Merula* Donaſtien & Divum Sebaſtianum idem ſonare, & Don vocabulum Cantabris Divum ſignificare docet. Ex Guipuſcoæ civitatibus maritimis præcipuis una ambitu ſic ſatis prolixo fluminis Menaſci, ut veteres eum appellavere, ſeu Gurumeæ, aut Urameæ, quod nomen ejus hodiernum eſt, oſtio adjacet. Lanæ commercium opulentum in hanc urbem diverſas nationes illexit: Portus verò admodum tutus, cujus ingreſſum arces ſatis firmæ altior inprimis militibus & tormentis bellicis munita, tuentur, navigationem, & mercaturam mire promoverunt. Nemine per muros ad portum accedere licet. Privilegium jactant incolæ, quo Regem nudo capite ut cum ipſis loquatur, teneri affir-

affirmant. Portas Hiſpanicis inſignibus, Imperii Romani aquila, & urbis ſigno exornatas plures milites cuſtodiunt. Plæriſque altaribus templorum impoſitus cernitur *S. Sebaſtianus* columnæ alligatus, & ſagittis confoſſus. Hoc in loco Viatores noſtri pecuniam ſuam permutabant, ex centum decem nummorum jacturam facientes, ac aſinos Mantuam Carpetanorum uſque decem aureis, ſive ducatis, quorum quiſque undecim regales valebat, ſingulos conducebant, eâ conditione, ut aſinis ſuis agaſones proprium pabulum præberent. Hoc in loco primâ vice Germani noſtri Viatores morem conſpexerunt Hiſpanorum, qui monachorum veſtem cucullatam exoſculabantur. Ager urbem ambiens fructuum quidem ferax vinum tamen vile procreabat.

Prid. Id. Aprilis à meridie hâc urbe relicta, inter montes in viâ pergebant lapidibus tecta, & comitem habente magnum, latum, & impetuoſum rivum multas auratas nutrientem, molas farinam molentes, & ferrum tundentes plurimas agentem, aliquot pontibus ſtratum ac haud paucis pomaria & arbuſta ficubus repleta undis lambentem. In conſpectum quoque prodibant aliquot pagi,

 & in

& in excelſioribus locis eremitarum caſulæ, ut & paſſim frequentes ovium greges, quarum lana à caprorum capillis haud multum abludebat. Veſpertinum tempus ipſos morari juſſit.

Toloſæ, ſeu *Toloſettæ*, quæ parva quidem urbs, ſed metropolis tamen Guipuſcoæ, ut ante dictum, quatuor milliaribus à *S. Sebaſtiani* urbe digreditur. Inter duos montes intereſt, ac enſium fabros quamplurimos habet. Confluunt hic Araxis & Oria vel Barſoria fluvii duobus pontibus juncti.

Idibus Aprilis vallem duobus montibus interjectam, & viam lapidibus ſtratis munitam exhibentem permeabant. Utrumque fluvii latus ſatis cultum frumento, leguminibus, fertilibus arboribus, & lino locuples eſt. Tranſibant autem oppidula duo, quorum uni Villa franca, alteri Segura nomen erat. Tota vero vallis affluebat molis malleos moventibus, quibus ferrum ex maſſis rudibus in longas perticas formari ſolet. Quinque milliaria emenſos veſpertino tempore excipiebat.

6. Sequama, vel Segama, ut alio in loco pagos hic nominatus invenitur. In territorio circumjacente ex argenteis vaſis potus hauritur: vitrorum uſus infrequens eſt. A Meridie rurſus iter ingreſſi

ve-

veniebant ad altorum montium congeriem, quæ Mons Adriani dicitur. In ipſo ferè jugo ſe offert caſula pauperum nonnullorum *Sancti Adriani Eremitæ* nomine (por amor de Santo Adrian) eleemoſynam petentium. Reliquum jugum merus eſt ſcopulus, & mera rupes, ad quam aditus admodum anguſtis, & uni tantum aſino pervius viatores in Caſtiliam deducit. In ipſo ſcopulo fons eſt aquam vivam emittens, ac diverſorium, ante quod altare cum imagine Chriſti in *Sanctæ Veronicæ* ſudario conſpicitur. Altius per ſcopulum candelarum aut facum prælucentium beneficio aſcendentes verticem attingunt, ac inde in Occidentalem Oceanum acie oculorum penetrare poſſunt. Aditu viæ conſuetæ ſuperato aliquanto altius aſcenditur, quæ in loco tunc temporis Germani noſtri nivem reperiebant. Ex aſinis autem deſcendentes reliquam montis partem verſus planitiem decurrentem pedites emenſi ſunt, & veſpertino tempore excepti ſunt in pago.

Galleretta poſtquam non pluſquam tria milliaria proficiſcendo abſolverant.

7. Apud pagum hunc ad radicem montis *S. Adriani* initium ſumit regiuncula Alava 28. leucas Hiſpanicas longa,

 & 18.

& 18. lata fructuum frumenti, atque vini copia ſic ſatis affluens inter cujus urbes primas tenet Victoria, & ſecunda eſt Salvaterra, ac tertia Trevigno Comitatus celebris primaria civitas. In pago dicto Galleretta equile, camera, culina, & hara uno in loco conjuncta erant. Incipiebantque diverſoria Hiſpanica, in quibus hoſpites ipſos emere oportet eâ, quibus opus habent, ſoluto regali pro lecto, & nummis nonnullis datis ancillæ, aut ſervo, quos Servitio nuncupare ſolent. In planities autem quaſi circulo quodam pulchri pagi, egregia municipia, & plura oppidula, ex quibus Salvaterra unum, in conſpectum veniunt. Qui ad ſiniſtram deflectere cupiunt, brevi temporis ſpacio in urbem Logronno pervenire poſſunt.

XVIII. Kal. Maji à Salvaterra ad dextram ſe vertentes unius lateris fertilitatem, & alterius ſterilitatem animadvertebant. Aliquot pagis & collibus nonnullis eos ſequentibus peragratis vallem intrabant priori ſimilem, utpote quæ plures pagos, vicos, & oppidula complexa ſolo frumenti ferace veſtiebatur. Arborem tamen fructi feram nuſquam vidente, procul in conſpectu habebant urbem Victoriam, quamvis adhuc duo-

duobus ab ipsâ milliaribus abeſſent. Cum autem meridianum tempus adeſſet, qui eſcendi & prandii ſumendi causâ ſubſiſtebant in dictâ urbe.

Vittoria, inter quam & Salvaterram 5. milliaria interſunt. Alavæ ſeu Alabæ regiunculæ caput eſt hæc civitas pulchritudine & commoditate, quàm magnificentiâ, & prolixitate magis *conſpicua*, in quâ non modo nobiles plurimi, ſed etjam haud pauci mercatores, & opifices ob commercia, ferro, vino, & lana exerceri ſolita commorantur. Enſium fabri magnâ frequentiâ hîc habitant, ſitus autem urbis, cum valle decliviori ſe parum inclinat. Primus hic locus eſt, in quo iter facientibus nomine profitenda, & omnia indicanda, quæcunque penes ſe habent, ita etiam ut nemini induſium novum habere liceat, niſi prius aquæ immerſum fuerit. Enſes certæ cuidam menſuræ applicantur, & examinantur an etjam debitam longitudinem habeant. Peregrinantibus conſultum quoque eſſe, ut Caſtiliano more capillitium ſuum tondendum hic curent, ſi nullis moleſtiis impediti regiones has pervadere cupiunt, in præcedente primo capite monuimus. Cuſtodiæ item portarum munuſcula ſua petentium, quorum moleſtiæ im-

importuniſſimæ per totam Hiſpaniam viatores obnoxi ſunt, hoc in loco peregrinis vexandis initium ſumunt. Hic quiſque ſibi etiam proſpiciat neceſſe eſt de corbe conſervando commeatui apto, qui Hiſpanis Alforias dicitur. De coriacea quoque lagena botta vel bottija nuncupata, quæ vinum cuſtodiat. Nam diverſoriorum commoditate, & vini bibendi occaſione viâ reliquâ deſtituitur. Pomeridianum tempus in veſperam vergens peregrinatores noſtros per quinque milliaria detulit, in urbem.

Mirandam d'Ebro, in quâ pernoctaverunt. In fluminis Iberi vel Ebri ponte ſtrati margine ſita hæc non vilis urbs in excelſo loco caſtrum oſtentat,& cingitur, ſolo vini tam nobilis feraci, ut viatores noſtri vix melius vinum in totâ Hiſpaniâ eguſtaſſe aſſerant. Flumen ipſi navigiis non pervium naves onera ferentes admittere recuſat.

XVII. Kal April. ſcopulos & rupe unius milliaris ſpacio pergentes equitando & tranſeuntes, oppidulo Pamemo & montibus à tergo relictis, poſt ſpatium milliarium quinque confectum, in pago vili prandebant. In menſa pranſuris apponebatur ſuilla cum pedibus bubulis, quibus veſci nec volebant, nec audebant, quod

dies

dies Sabbathi eſſet. Sed edocti de more hoc per Hiſpaniam totam uſitato cum cæteris iiſdem veſcebantur. A Meridie pergentes, duobus milliaribus emenſis.

Burbieſcam municipium Franciſcani Ordinis monaſterio à quodam ex Velaſciorum proſapiâ, ad quam hic locus pertinet, conſtructo nobile obvium habuerunt, & planitiem campeſtres milliaria tria pervadentes quieti nocturnæ indulſerunt in pago.

el Monaſtero de las Rodillas, cujus loci caſei cæteri totius Caſtiliæ omnibus excellere dicuntur.

Caſtiliæ ſeu *Caſtellæ Regnum* duplex vetus & novum, quæ montana in fine Regni Navarræ incipientia, & totam Hiſpaniam uſque ad mare mediterraneum percurrentia ſeparant. De Novâ Caſtiliâ cujus caput Toledo, inferius dicetur. In Veteri Burgos metropolis primum locum obtinet, ad quam etiam refertur Signenza vel Seguntia à nonnullis ad Novam Caſtiliam relata, quæ mœnibus & arce munita colli inſidet. Vide *Nonium* 74. *cap.* Collis radicem lambit fluvius, Hanares. Academiâ & ſede Epiſcopali inſignis urbs ſeptingentas ædes comprehendit. Vicina ipſi eſt Molina oppidum octingentarum

rum ædium congeries. Reliquæ Veteres Caſtiliæ urbes ſunt Segovia, Valladoledum, de quâ poſtea, & Avila, in quâ mille foci numerantur. Mediam occupat planitiem cinctam montibus, quos frumentum optimum, & vinum generoſum nobilitant. Fluvio Algerbe ſecatur. Alva item, vel Alba, quæ Duces Albanos nominis ſui participes reddidit, & famoſa eſt ſepulchro S. Tereſiæ hic 1582: mortuæ & ſepultæ, ſi fides habenda *Francisco Riberæ* vitam ejus deſcribenti, *& Auberto Miræo in Chronico ſuo* ſe teſtem profitente. Porro Veteris Caſtiliæ Urbes ſunt Oſma vel Uxama trecenti urbibus conſtans & Academiam habens à quâ Crunna del Conde ſex milliaribus abeſt, ac Aranda & Pagna. Veteris quoque Caſtiliæ membrum eſſe fertur territorium Terra de Campos Medinam & Aguilar includens, & ſecundum nonnullos Salamantica vel Salmantica Urbs, ſicut Joh. de Laet ex *Nonii c.*48. Celeberrimam hanc & primam Hiſpaniæ totius Acad. ad Legionem regnum antea, nunc vero ad Caſtiliæ Veteris Regnum pertinere indicat. Lavatur undis fluvii Tormis, qui in Durium aquas ſuas effundit. Plurimis nobilibus incolis ſuperbiens, ac territorii circumjacentis fertilitate felix pro-


prolixè deſcribitur à *C. Ens pag.* 7. *deliciar. Apodem. Marineus de rebus Hiſpan. lib.* 2. *fol.* 2. circà ſeptem ſtudioſorum millia ſuo tempore in hâc urbe numeratos fuiſſe commemorat. Vide *Melchiorem Cerdam in Apparatu ſuo de hâc Scholâ*, ubi in ædificiis, collegiis & lectionibus hujus Academiæ prolixâ deſcriptione illuſtrandis multus eſt. Tandem in Veteri Caſtilia invenitur quoque Lerma urbs, uvarum, & frumenti ferace territorio locus haud ignobilis. Ut *Merula part.* 2. *Coſmogr. lib.* 2. *cap.* 19 fines hujus Regionis indicat, Aſturia & Biſcaja ipſi ſunt Septentrionales, Luſitania Occidentalis, Nova Caſtilia Meridionalis, & Aragonia ac Navarra Orientales. A *Merulâ* etiam in hâc regione locantur urbes Palencia, vel Palantia, Simanca, Camora, Ciudad Rodrigo vel civitas Roderici, Coria, & Placentia. In cæteris verò ab eodem commemorantur urbes, quæ aut planè interierunt, aut ruderibus collapſis ſe fuiſſe adhuc teſtantur. Inter eas eſt Numantio crebrâ Hiſtoricorum mentione celebrata, de quâ *Nonius cap.* 78. Auguſto briga, & Clunia, quarum poſterior hodierna Crunna del Conde eſſe exiſtimatur. Alii Placentiam Guipuſcoæ, & Valentiam, Zamoram, ac Cividad Rodri-

drigo Legionis Regno adſcribunt.

Ut ad iter noſtrum redeamus, tendebat illud XVI. Kal. Aprilis ex pago illo caſeos tam optimos ſufficiente per tria milliaria ad urbem.

9. *Burgos*, cujus ſuburbium peregrinatoribus noſtris Germanis hoſpitium præbuit. Prima Veteris Caſtiliæ Urbs, ut diximus, aliis centum & quinquaginta oppidulis & pagis dominatur, & vectigal annuum Alcavála nominatum imperat, pro eo quotannis Regi ſolvens 17. 129. 880. maravediſios ſecundum *Johannem Hugonem Linſchoten*; aut 41 633. nummos aureos ſive Ducatos ſecundum *Ambroſium de Salazar.* Dimidiæ Lunæ figuram ſitu ſuo referens monti & fluvio non quidem navigabili, ſed duobus pontibus lapideis conſtrato aſſidet, ac pulchris plateis, multiſque elegantibus templis, monaſteriis, & magnificarum ædium ſtructuris, Conneſtablii inprimis palatio ſuperbit. Proprium habet Epiſcopum magnis reditibus annuis opulentum, & incolas mercaturæ ſtudio occupatos. Caſtellum ſupra urbem inſignis firmitudinis tutelam non manibus humanis ſed naturali ſitui acceptam fert, & viginti duobus tormentis bellicis majoribus hoſtes acceſſu prohibet. Aër frigidus eſt & hu-





BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III NAPOLI

& humidus. In majori ponte pulchra porta exeuntibus, & urbem ingredientibus patet. Hanc exornant nonnullæ ſtatuæ lapideæ, quibus impoſita eſt Virginis *Mariæ* ſtatua, & huic ſuppoſita alia cum duobus verſibus, & ſub iis Cæſar *Carolus V.* cum hâc inſcriptione *Divo Carolo V. Max. Rom. Imp. Auguſto, Gallico, Germanico, Africanoque Regi inviĉtiſſimo S. P. Q. B. Anno* cIↃ IↃc. Sub & ad latus hujus Caroli aliæ ſunt ſtatuæ, & ſub arcu portæ etiam duo verſus. Ad dextram *Caroli* cernitur filius *Philippus* cum hâc inſcriptione; *Apotheos, Philippo II. Hiſp. Regi. Gallico, Britannico, Punico, Indico, Celtibero.* E regione oppoſita alia ſcriptura legitur. Ad Caroli ſiniſtram conſpicitur *Philippus III.* cum inſcriptione ſequenti. *Philippo III. hæreditatis, & paternæ virtutis ſucceſſori, Patri Patriæ potentiſſimo, inviĉtiſſimo, & Religionis Orthodoxæ pientiſſimo Protectori.* In altero latere leguntur duo emblemeta Caſtellæ inſignibus ornata. Prius oſtendit arborem, cui addita hæc verba: *Æternum exſerenata virebit*: poſterius manum quæ ſpeculum, aut lapidem lucidum continet, his verbis: *quæ recta & fida pellucent.* Templum Cathedrale *S. Mariæ* conſecratum ſtructurâ elegan-
tiſſi-

tiſſima inter maximè memorabilia Hiſpaniæ opera elucet. Turres oſtentat perſpicuas, & oculis pervias; intus verò altaria adeo artificioſe confecta, ut miſſa non modo ſimul in quinquè altaribus celebrari, ſed etiam ab univerſo populo ſimul exaudiri queat, cum interea nullus cæteris impedimento eſſe poſſit: *Joh. Boterus part.* 1. *delle Relatione Univerſali pag.* 24. *edit. Ferrar. de Anno* 1592. Sacellum Conneſtablii elegantia mira omnium oculos in ſe convertit. Tecti corona opere perfracto eleborata templo pulchritudinem ſummam conciliat. Templo adjuncta eſt aula Epiſcopalis, in cujus cœnaculo communi viatores Germani hauſtu vini excepti ſunt. Extra Mœnia Cœnobium Ordinis S. *Franciſci de Paula*, & trans fluvium Carmelitarum Monaſterium viſui ſe exponunt. Hoc picturas admodum artificioſas, & ſub terrâ Monachorum ſepulchra oſtendit. In ejuſdem templo imago erat multis lampadibus circundata, cujus occaſione *Author noſter N N*: monachum Latinè interrogavit an etiam miracula imago iſta ediddiſſet, & hoc reſponſi tulit; *Imò, quia hæc Imago nuper reſurrexit unum puerum*, quæ verba inſignem ſcilicet hujus monachi Hiſpani eruditionem ar-

arguebant. Quartâ milliaris parte ab urbe Diſcalceatorum monachorum occurrit cœnobium, & in viâ Valladoledum tendente aliud Virginum nobilium, quod Huelgas Hiſpani nuncupant. Recipit tantum magnæ originis Virgines, habebatque tunc temporis Abbatiſſam Ducis de Lerma cognatam. *D. T. U. Y.* nominat les Vuelques hoc cœnobium, & in eo centum & quinquaginta virgines nobiles ali affirmat. Subjecta etiam eidem eſſe dicit viginti quatuor loco, & quinquaginta pagos, quod & *Boterus* aſſerit. *C. Ens in delic. per Hiſpaniam pag.* 17. *& ſeq. ex L. Marinei Siculi lib.* 3. *ſ.* 21. 6. quem tamen non nominat, hanc Abbatiam 17. alia cœnobia, 14. oppidula, & 50. alia loca Jurſdictione ſuâ complecti tradit. Ibidem plura de hâc civitate legi poſſunt. Xenodochia & Noſocomia plura extrà Urbem Regis domo appellantur. Incolæ præ cæterarum urbium Hiſpanicarum habitatoribus humanitate & comitate, quâ peregrinos excipiunt, laudem inſignem ſibi conciliaſſe feruntur, quamvis ejuſdem obliti, Germanicis illis noſtris peregrinatoribus civilitatem ex hara porcina petitam exhibuerint. Carè hic vivitur, cum capellam Germani illi tunc temporis undecim & dimidio Regalibus eme-

emere coacti fuerint. In diverſorio, in quod diverterant, primâ vice animadvertebant controverſiam inter Franciſcanos & Jacobinos inter ſe diſceptantes an Virgo Maria in peccatis ſit concepta. Januæ diverſorii affixa erat ſcheda Hiſpanicè loquens, & triginta dierum abſolutionem à peccatis illi promittens, quicunque & quotiescunque nomen Jeſu nomináſſent.

xv. Kal. April. duorum tantum milliarium itinere facto pagi vilis pernoctatione, & quiete utebantur.

xiv. A matutino ad meridianum uſque tempus quatuor & dimidium *milliare* conficientes duos pagos & ſolum ſatis ſterile peragratione ſuâ obeuntes in Venta quâdam ſeu diverſorio ſolo quieſcendi cauſa ſubſtiterunt.

Pomeridiano tempore itineris laborem repetentes via ducebat per planities campeſtres, & paſona oves nutrientia, flumenque Iſergam, vel Piſuergam, ut *Marineus* appellat, in eidem accumbens municipium.

Torquemada, ex quo ſequenti.

xiii. Mane abeuntes duorum milliarium campeſtri planitie ſuperatâ municipium.

Magas in antiquæ alicujus arcis in excel-



BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III NAPOLI

celſo loco ſitæ vicinia ſedens acceſſerunt, indeque duobus iterum milliaribus confectis prandio excepti ſunt in urbe.

Duennas, aut oppidulo potius exiguo ejuſdem Iſergæ vel Piſurgæ fluvii ripæ impoſito, & adjuncto arci, ac Dominicanorum monaſterio eleganti. Pomeridianum iter planum campum permeans primo offendebat.

Cabagon, vel *Cabecon* oppidulum à priori tribus milliaribus recedens, & eleganti Benedictinorum monachorum cœnobio inſigne: ac poſtea pernoctationis locum urbem.

10. *Valladoli*, *Valladoledum* aut *Valdoledum*, inter quam & præcedentem locum tria milliaria, ſeu tres leucæ Hiſpanicæ intercedunt. Urbium Hiſpaniæ elegantiſſima judicata à *Nonio* nobiliſſimum Hiſpaniæ oppidum appellatur & *Ptolomæi* Pintia eſſe dicitur; cui ſententiæ tamen *H. Surita* refragari audet in notis ad *Antonini itinerarium pag.* 194. cui oppidum Pennafiel potius convenire videtur. In dicti flumini Iſergæ, Piſurgæ, vel Piſuergæ orâ cubans elegantis ſtructuræ templis, & domibus tàm publicis quàm privatis, Gymnaſioque haud ignobili excellit. Aëri ad ſalubritatem nihil deeſſet, niſi à nebulis, & vaporibus, ex di-

dicto fluvio exemtibus quandoque, non corrumperetur, & turbaretur. Hortorum, fontium aliarumque rerum larga copia fecit, ut Reges plures hic commorati fuerint. Imo adhuc eo allicit, ut nonnunquam ejus opportunitate utentes recreationibus indulgeant, Principum Hiſpanorum plures Palatia hic magnifica habent. Locus, in quo omnis generis merces venum exponi ſolent, ſive forum admodum elegans ſeptingentorum paſſuum circuitu ambitur, ut *Marinæus Siculus*, & *Nonius* referunt. Undecim ædium millia in urbe numerati, & inter frequentia Principum palatia *Comitis de Benevento* palatium magnificentiâ ſuâ eminere communis fert opinio. Per urbem manans rivulus Sgheva aquam minus gratam alveo ſuo complectitur. Author *noſter N N*: narrat, Forum ſeu area illa hujus Epiſcopalis & ad Veterem Caſtiliam pertinentis civitatis *S. Paulo* templo proxima à Regio foro, ſeu Area Pariſiis non multum abludit, & Curia ornatur, patibulumque juſtitiæ exercendæ deſtinatum oſtendit. In urbe ipsâ ſunt 130. templa, monaſteria, Sacelia, & oratoria omniumque caput *S. Pauli templum* in quo centum & triginta Dominicanos cultus divinus tunc temporis occupabat. Ex pala-

palatio ſuo Rex per porticum *S. Pauli* templum intrare poterat. Catenis autem circum circa cinctam, tanquam aſylum, homicidas admittit, & à lictoribus, & captivitate totus præſtat. Veſtibulum portam oſtentat pluribus ſtatuis lapideis inſignem. Faſtigium aurea cruce ſuperbit. Arcuum interiorum concavitates, totiuſque templi internum tabulatum auro obducuntur. Altari ſummo aſtabant candelabra duodecim altitudine cum virili ſtaturâ convenientes. Totum autem templo adjunctum cœnobium ubique appenſa exhibebat Ducis Lermæ inſignia cum ſequenti inſcriptione: *Duces Lermæ inſignis hujus cænobii veri, unici, & ex ingenti dotatione perpetui Patroni.* Templi ambitus in ſacrarium ducit, opus profecto ſplendidum & magnificum, in quo Ducis Lermæ effigies ad vivum à pictore expreſſa conſpicitur, omnium præthereà Paparum, & multorum Martyrum effigies in oculos incurrunt. Ex eo in ambitum duplicem, & quidem unum alteri impoſitum reditus patet. Interior aliquot pulchris ſacellis eximius depictos exhibet Ord. Dominicani Martyres. Inde Dormitorium adire licet, ac Bibliothecam in quâ præter aliorum & *S. Thomæ Aquinatis* unâ picta cernitur. Inde per gradus

dus in hortum deſcenditur. Viſu autem maximè digna in hoc templo ſunt theſaurus, vel reliquiæ & Caſiolæ ſeu pallia ſacra. Peregrinatores noſtri Germani exeuntes monachis quatuor regales dono dabant, & in Regis palatium priori ædificio vicinum ſe conferebant, in cujus introitu offenderunt, Germanum Memminga oriundum, à quo per totam ſtructuram circumducti ſunt. Domum ejus tranſeuntibus obviâ fuit Leonum foſſa, in quâ Leones, ut & aquila quædam alebatur.

In horto aviarium adhuc aliquot aviculas Canarias, uti vocantur, continebat, & quatuor porcelli marini ſe conſpiciendos exhibebant: Poſtea illo, cui claves commiſſæ erant, in conclavia eos ducebat. Apud introitum ſub tecto monſtrabat currum globos rotarum loco habentē, quo vecta eſt Galliæ Regina hoc tempore vivens, cum fratre ſuo, cum pax inter Anglos & Hiſpanos conſtituta eſſet. Inde gradus aſcendentes veniunt in aulam choreis & ſaltationibus deſtinatam, quæ dierum quadraginta ſpatio ædificata eſt. Tabulatum ejus totum auro veſtitum eſt, & in fine thronus deauratus ſe ſpectandum offert. In editiore loco quinque vel ſex lampades cum aliis nonnullis

re-

rebus conſpicuæ erant. Hujus atrii exitum excipiebat porticus præcipuæ notæ virorum quorundam effigiebus, obſidionis urbis S. Quintin, pictura, Argentinæ confecto Horologio, quod Argentinenſe æmulabatur, & ſphæra ac globo quem Pelicanus ſuſtinet, decoratus. Subjectum legitur hoc diſtichon:

Omnia metitur tempus, ſed metior ipſum
Artificis fragili machina facta manu.

Sub hâc porticu amœnus hortus duplex ambulcarum pulchris imaginibus decoratum habet, & ſpectatores dimittit in aliam porticum ſumptuoſis feneſtris, quarum quævis triginta coronatis conſtitiſſe fertur, inſignem: ubi in diverſis tabellis ex alba tela bombycina confectis Eſcuriacum, & ducis Sabaudiæ liberi depicti cernuntur. Hinc ſex cameræ tranſeundæ, in quibus Regina commorari ſolet, quando in urbem venit. Cameræ, quæ ornando corpori inſervit; tabulatum ſuperius auro obducto ſplendet, ac parietes aliquot munimentorum & fortalitiorum Hiſpanicorum delineationibus oculos paſcunt: Proximum eſt Gynæceum, in quo Rex Hiſpaniæ, qui hoc tempore Regnum obtinet, natus eſt. In Sacello huic

contiguo Rex & Regina miſſæ celebrationi intereſſe ſolent. Ex parte illâ, in quâ Dux Lermæ tunc temporis habitare ſolitus eſt, tranſitus in aliam patet porticum, in quâ inter alias imagines *Johannis Frederici* Saxoniæ Electoris, ut in armis captus eſt, effigies cum cicatrice in facie conſpicitur. Hic Germani noſtri quatuor regales dono dabant. Porrò noſter *Author NN*: meminit Palatii ad *Comites de Salinas* pertinentis, ut & aliorum, quæ contemplatione digna eſſe dicit. Jeſuitæ hâc in urbe Theatini appellati pulcherrimo in templo Sacris ſuis operantur, ac tunc temporis, anno nimirum 1617. annum Jubilæum celebrabant. Porrò haud procul ab hoc Jeſuitarum collegio Parochiale templum, & non longè ab eò Lutherani 12. Kal. Junii anno 1559. exuſti hiſtoriam in tabulâ deſcriptam conſpici indicat. Inde pergentibus ſe ſpectandum offert Monaſterium el Bonderto Reale magnifico ſplendore conſpicuum, & in fine Inquiſitio vel Officium Sanctum, ubi nullæ feneſtræ, ſed tantum foramina ſunt iis in turribus ſimilia, in quibus monedulæ ſibi nidos conſtruunt. Apud Franciſcanos oſtenditur ſepulchrum *Antonii de Guevara*, cujus epitaphium in *Franciſci Sweertii*

ſele-

ſelectis Chriſtiani orbis deliciis pag. 324. lector inveniet: Extra urbem Regius hortus adjace Flûmini Piſurgæ, quod duobus milliaribus abſolutis Torr nominatur ut *Author noſter N N*: mōnet. Urbem regit Præfectus, Corregidor Hiſpanis, cui hoc munus triennii ſpatio adminiſtrandum à Rege committitur, adjunctis duobus Juriſconſultis, cum viginti octo Senatoribus, qui hoc officium non utilitatis ſed honoris cauſa emunt. XII. Kal. Maji Viatores Germani in urbe commorantes haud parva moleſtia affecti ſunt. Plateas tranſeuntes convitiis inceſſit fæx vulgi; Carnem ab ipſis emptam ex dulciarii piſtoris ædibus abſtulit Burgundus quidam: Lotione & menſura falſa decepti, in judicio cum adverſariis contendere coacti ſunt, adeo ut *Lanii* etiam eâ de cauſâ mulctam pecuniariam ſolverint. Quæ omnia de civitate hâc inprimis notanda ſunt, & illud adhuc ex *Marineo* adjiciendum, quod, ut refert, in dicto grandi foro trecentas & triginta januas ædium, & ter mille feneſtras numeraverit.

XI. Kal. Maji hora undecima Valdoledo diſcedentes via ducebat, per amœnam ſylvam monaſterium Diſcalceatorum cingentem, uſque ad flumen Du-

rium, (Duero, vel Durio) de quo *Nonius* legi poteſt. Hoc tranſmiſſo, & duobus regalibus ſolutis; planitiem quandam ſuperabant, & quatuor milliaribus confectis offendebant.

Moncadam municipium in ripâ fluminis ſedem habens, quo relicto, partim arenoſum, partim ſylvis obductum tractum peragrantes quinque milliarium iter confecerunt, donec hora octava veſpertina ipſos exciperet oppidum.

Cocca, in quo quieti nocturnæ indulſerunt. Inter Moncadam & Coccam duo tantum diverſoria ſola, ſine ullâ ædium aliarum viciniâ, nonnullas oves hinc inde paſcentes, ac ferè hominem nullum conſpicati ſunt. Oppidulum autem hoc loco excelſo impoſitum ſedes eſt *Comitiſſæ de Alcala*, ad quam pertinet. Appellatur etiam Magnatum carcer. Ab eo enim haud longo ſpatio remota eſt arx, in quâ *Auraicus Princeps Mauritii Principis* frater captivus detentus eſt.

x. Kal. Aprilis trium milliarium viâ per arenoſum & ſylveſtrem tractum tendente in oppidulum ab Autore non nominatum ducebantur, in quo pranſi à meridie tranſibant ſolum aliquo modo cultum, nonnullis pagis procul in conſpectum ſe dantibus, in viâ autem non

oc-

occurrentibus, niſi uno pago, & diverſorio item unico, & ſolo ſine ullis ædibus vicinis donec veſperi perventum eſt.

Segoviam à præcedente oppidulo quinque milliaribus diſtantem civitatem, ac ſitam in excelſo monte, in quo cum ſuburbiis in ſatis ſpacioſam magnitudinem ſe dilatat, & turribus ac propugnaculis tuetur. Optimi panni, qui nullibi in Hiſpaniâ meliores, ut *Nonius c.*60. teſtatur, confectione, famoſâ incolis, quoque abundat opulentis, ac in ſolo feraci ſedet, Epiſcopatuſque divitis caput eſt. Septem ædium millia in eâ numerari perhibent. Veteris Caſtiliæ civitas eſt. Aquam ejus membrorum contracturam, & hydropem excitare, pannum quatuor tantum digitos tranſverſos latum ſex vel ſeptem coronatis conſtare, & perverſæ ac malæ indolis plæroſque incolarum eſſe *Author* noſter tradit. In foro templum cathedrale, *Yglesia Major* Hiſpanis, inſigne eſt altari Divæ Virginis imagine argenteâ ornato: Sepulchro itidem *Didaci Covarruviæ* Juris conſulti celeberrimi. Digna quoque ſunt, quæ inſpiciantur, duo monaſteria in valle ſedem ſuam habentia, *S. Vincentii* nimirum, & *S. Hieronymi*, utrumque in ſylva vicina, ambulacri amœnitate ambulatores delectans. Ger-

mani noſtri viatores circumducebantur à Gallico Sartore Germanicam linguam egregiè callente, qui ipſis ſpectanda exhibebat arcem, officinam monetariam, & Pontem. Arx Regia *el Palatio* Hiſpanis, in altâ rupe locata vicina eſt domicilio Epiſcopi, & foſſis ſcopulo mero profundè inciſis tegitur. In turris, in quâ excubiæ aguntur, ſummâ ſuperficie quadrata, & plana decem cernuntur tormenta ænea ad urbem converſa, duo ſuburbium inſpectantia, & unum in campos rictum ſuum expandens. Inde ſexdecim cameræ tranſeundæ, quarum unicuique tapeta parietibus ſuſpenſa decorem haud exiguum conciliant. Unius ex iis Caminus Porphyretico marmore ſuperbit. Sub his minor turris in ſupremâ ſuperficie quadratâ & plana ſeptem tormentis æneis oneratur. Ex eâ introeundum in parvam cameram laqueari deaurato ſplendentem, camino marmoreo decoratam, & parietibus ad dimidiam viri ſtaturam opere vitreo obductis inſignem. Proximum eſt Regis ſacellum deauratum, & picturarum elegantia inſigne, inter quas eminent trium Regum imagines ſingularis artificii picturâ in altari oculis ſubjectæ. Mox ſequitur cœnaculum, ſeu triclinium magnificum, & ſum-

ſumptuoſum, ac ubique auro obductum, in quo omnes Hiſpaniæ Reges, à *Pelagio*, qui circa annum Chriſti 716. regendi initium fecit, uſque ad *Joannam Caroli V. & Ferdinandi I.* Cæſarum matrem omnes mediocri ſtaturâ repræſentati ſoliis ſuis inſident. Lacunar ipſis impendens opere deaurato artificiosè ſuccinum ipſum mentitur. Huic triclinio contiguum alterum opere deaurato quoque rutilans poſtibus marmoreis januas ſuſtinet vicinumque eſt tribus conclavibus, viridi & cœruleo colore pictis, ac ſtellarum aurearum copiâ diſtinctis. Ex triclinio dicto autem exeuntes ducuntur in Reginæ cœnaculum parietum dimidiam partem vitro tectam, ſcamna marmorea, & laqueare auro optimo opertum oſtentans. Adjunctum eſt conclave aliud elegans lacunar gypſato opere inductum, & roſæ imaginem elegantiſſimam oculis ſubjiciens, januaſque auro tectas oſtendens. In omnibus verò arte quaſi certantibus hoc notabile eſt, quod artificio diverſo & diſſimili miram oculis voluptatem afferant. Exeuntes alia iterum conclavia ad ſui ſpectaculum & admirationem vocant. Diſcedentes Viatores noſtri Germani regales octo conclavium omnium cuſtodi ſolvendo delecta-
 tio-

tionem oculis ablatam compenſarunt. Ex arce in officinam monetariam deducti ſunt. In valle ſita rotas habebat plures, quas aqua præterfluens in gyrum agebat. Extruxerunt eam Oeniponte traducti monetæ excuſores, qui tunc temporis præter unum ſuperſtitem, omnes in vivis eſſe deſierant. Uno die plures nummos excudere ſolet, quàm in aliis monetarum officinis unius menſis ſpacio excudi poſſunt, ut *Author* noſter refert. Videatur *Nonius pag.* 188. *edit. Antverp. Anno.* 1607. *in* 8. Tertium opus quod hic Segoviæ contemplationem meretur, eſt pons, ſive Aquæductus, ædificium verè Romanum, & opus tam admirandum, ut omnibus aliis præponendum videatur. Fornicibus innititur centum & ſeptuaginta ſeptem, & per tria milliaria aquam in urbem deducit. In pontis fine nonnullæ ſunt arcæ, ex quibus aqua per epiſtomia in urbis ædes, quaſcunque opus eſt, emittitur. Ulterius ſi progrediaris, turris occurrit, in quam aqua illabitur. Juxta hunc pontem alius minor eſt aquæ in ſuburbium ad tinctorum uſum deducendæ inſerviens. Æſtivo tempore hæc aqua in puteis admodum frigido conſervari poteſt.

IX. Kal. April hinc diſcedentibus

tranſ-

tranſeunda erat via admodum lapidoſa uſque ad montes *el puerto del fronte frio* appellatos, & maximam partem nive tectos. Mox in ipſo introitu ad ſiniſtram in valle quâdam conſpiciendum ſe offerebat monaſterium Carthuſianum perpulchrum, in quo nonnunquam Rex commorari ſolitus eſt. Ad dextram domus eſt Regis venatoria. In itinere pergentes metalli fodinas offendebant, & plurimas feras videbant. Poſtquam aliquot itineris milliaria ſuperata ſunt, ad Ventam pervenitur, unde porrò aſcendendam. Viatores noſtri in nive uſque ad genua deambulantes ſacellum, & domum, in quâ nix pro Rege cuſtoditur, in vertice reliquerunt, & in deſcendendo viam lapidibus obſeſſam, ubi Vetus & Nova Caſtilia finibus ſuis diſterminantur, habuerunt. Longurios aut aſſeros videbas octo, quibus appenſæ erant portiones maleficorum quorundam, qui tabernam monetariam expilaverant, in quatuor partes diſſectorum. Peractis quinque milliaribus circà meridiem adventantes pagus excipiebat. A meridie commodiore viâ ducti nonnullos pagos videbant, & domum quandam Regiæ recreationi deſtinatam. Initium item muri ſeptem milliarium ambitu vivarium

feris deſtinatum includens. Veſperi poſt quatuor milliarium iter remanſerunt in pago.

11. Eſcurial, quem *Nonius cap.* 71. Eſcuriacum nominat. Cui in Caſtiliâ novâ ſito adjunctum eſt ejuſdem nominis famoſiſſimum illud in toto orbe Chriſtiano monaſterium, quod inter mundi miracula relatum *Merula part.* 2. *Coſmographia lib.* 2. *cap.* 20. *fol.* 262. nimiis laudibus extollit. Monachus quidam ad *S. Paulum* Valdoledi noſtris dicebat, quod hic opus Salomonis templo majus viſuri eſſent. Plærumque *S. Laurentii* in Eſcuriali Monaſterium vocatur. Cum Rex *Philippus II. S. Quintini* urbem in Galliâ Anno 1557. nullo alio medio occupare poſſet, quam ſi *S. Laurentii* templum machinis illis bellicis dirueret, Confeſſionarii Patris permiſſu illud fecit, & ſe aliud in *S. Laurentii* honorem extructurum pollicitus eſt. Primum itaque hujus ſtructuræ lapidem poſuit, quæ viginti ſeptem annorum ſpatio ad finem perducta eſt. Vide quæ *D. Thomas Lanſius in conſultatione de principatu inter provincias Europæ in orat. pro Hiſpan. pag.* 264. *in* 8. ſcribit, ubi ex *Petro Matthæo in hiſt. Henrici IV. Galliæ Regis: lib.* 1. *narr.* 4. refert, quod plus quam vigin-



BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE III
NAPOLI

ginti millionibus, aut ducentis tonnis auri conſtiterit. *Joh. Mariana lib. 3. de Rege, & Regis inſtitutione cap.* 10. eam viginti quatuor annis abſolutam, præter pretioſiſſimam ſupellectilem, trium millionum ſumptibus erectam eſſe ait. *Author noſter* narrat, ſe ſibi narratum eſſe ab ejuſdem monaſterii monachis qui Ordinis *S. Hiernoymi*, A. 1617. centum & quadraginta numero, cum quinquaginta diſcipulis, quos Scholaſticos, vocant, ibidem victitabant, quod in totam ſtructuram cum ipsâ bibliothecâ, quinquaginta ſex auri tonnæ cum triginta mille coronatis inſumptæ ſint. *J. W. Neumayer in Hiſpanici & Italici itineris deſcriptione* quindecim auri millionum mentionem facit. Quanticunque vero conſtiterit noſtrâ nil intereſt. Structura ipſa certè admiranda jure cum veterum illis ſtructuris mirabilibus comparari haud paucis etiam præferri poteſt. De novis aliorum Magnatum ædificiis cum hâc ſtructurâ collatis ſententiam pronunciat verſus:

Omnis ſtructuræ cedat ſtructura Philippi.

P. Bertius in tab. Geogr. contr. pag. 100. *& ſeqq. in Hiſp. deſcript.* hoc mundi miraculum dilucidè deſcribit, & æri inciſum antè oculos ponit, ubi hæc, ut

ut & apud *Abrah. Ortelium*, *Marianam*, *Merulam*, *&* *Neumayerum* legi poſſunt. Nos *Authoris noſtri* narrationem, nondum antehac in lucem editam hic ponemus. Ex pago Eſcuriali ad Regium non magni momenti ſtabulum via aſcendit, & poſtea utrinque tiliis conſita montem porro mille ſexcentorum & triginta paſſuum longitudine ſcandit, in uno latere ſaxum habens excelſum, in quo crux lapidea, cum crate, in quâ *S. Laurentius* toſtus eſt. Ad cœnobium pervenientium oculis è regione ſe exhibet ædificium conſtans duobus tabulatis, quorum unum Scholaſticos, alterum regios miniſtros recipit, quando Rex ibi eſt. Quâ in monaſterium ipſum introitus patet, tribus magnificis portis ingredientes admittit, & exeuntes emittit. Media primaria ex lapide vivo conſtructa, magnificis columnis ſuffulta, claviſque & manubriis deauratis ornata Occidentem ſpectat, *Sanctumque Laurentium* cum crate in medio oſtentat. Anguli propylæo obverſi quatuor habent turres, & introitus in templum duas alias. Totum autem ædificium tribus ſolariis ſeu tabulatis ubique aſſurgit, & ſeptendecim areis diſterminatur, quas periſtylium triplex ſibi invicem impoſitum, & ubique fere

ſtru-

ſtructuras quaſvis ambiens inſpicit. Areæ autem ſeptentedecim per fontes ex optimo marmore conſtructos aquam vivam emittunt. Januarum in toto monaſterio quatuordecim millia numerari, claveſque iis aperiendis deſtinatus ſeptem centenariorum pondus habere ajunt. Suprà templi introitum ſex ſtatuæ marmoreæ aureis coronis & ſceptris inſignes, ac octodecim pedes altæ ſex Regum Iſraëlis effigies oculis conſpiciendas exhibent. Ponè introitum fundatorem, & fundationis tempus nigræ tabulæ marmoreæ inſcriptio ſculpta indicat his verbis: *Philippus II. omnium Hiſpaniæ Regnorum, utriuſque Siciliæ & Hieroſolymæ Rex, hujus templi primum dedicavit lapidem D. Bernhard. ſacro die Anno* 1563. *res divina fieri in eo cœpta prid. feſtum D. Laurentii Anno* 1586. In altero latere leguntur hæc verba: *Philipp. II. Omnium Hiſpaniæ Regnorum, utriuſque Siciliæ, & Hieroſol. Rex, Camilliaci, & Alexandriæ Patriarchæ, Nuncii Apoſtolici miniſterio, hanc Baſilicam S. Chriſmate conſecrandam piè ac devotè curavit*, 30. *Auguſt. Anno* 1593. Clathra antè templum ex orichalco facta ſunt. Altare ſtipatur viginti quatuor candelabris argenteis ferè duas ulnas altis, ut & nonnullis ar-

argenteis lampadibus ſatis magnis. Sunt adhuc tria altaria peculiaria pulcherrimis picturis & figuris ornata, templumque *S. Petri* templo Romæ ſimile eſſe fertur. Ejus tabulatum auro obductum ſplendidiſſimè nitet; pavimentum vero nigro & albo marmore conſtratum eſt. Primarium illud altare, de quo diximus, planè liberum eſt, ità ut totum circum iri queat, nemini tamen quid attingere licet. Ideò Germanos noſtros id facientes objurgabant monachi, dicentes, locum ſacrum eſſe. Opus eſt ex fuſco marmore confectum, & deauratis imaginibus decoratum, gradus habens ex eodem marmore, ac tanto ſplendore, ut tranſeuntes glaciem tranſire ſibi videantur. Superior altaris pars merus eſt porphyrites. Ponè altare ex Indico ligno, eodem cum auro, pretio æſtimato duæ ſunt januæ & poſt illud parieti inſertum cernitur marmoris Porphyretici fruſtum, in quo tanquam ſpeculo totum templum videre licet. Ad ejuſdem altaris latus ſex aliæ ſunt januæ, itidem ex Indico ligno confectæ, cum orbibus ex cryſtallo. Proximè eſt *Caroli V.* & uxoris ejus ſepulchrum, opere magnifico elaboratum cum hâc inſcriptione:

D.O.M.

D. O. M.

Caroli V. Rom. Imperatori Auguſto; horum Regnorum, utriuſque Siciliæ, & Hieroſol. Regi, Archiduci Auſtriæ. Optimo Parenti Philippus filius poſuit. Jacent ſimul Eliſabetha uxor, & Maria filia Imperatoris, Eleonora & Maria ſorores, illa Franciæ, hæc Ungariæ Regina.

In altero latere eſt *Philippi II.* ſtatua priori ſimilis, in eo tamen differens, quod *Carolus* ordinem incipiat, *Philippus* verò tanquam prudentior alii alicui Regi adhuc locum relinquat, ut verba, *Hic locus digniori inter poſteros illi, qui ultro abſtinuit, virtutis cauſa*; teſtantur. In medio dictus *Philippus* jacet cum hâc inſcriptione:

D. O. M.

Philippus II. omnium Hiſpaniæ Regnorum, utriuſque Siciliæ, & Hieroſol. Rex Catholicus, Archidux Auſtriæ &c. in hàc ſacrà æde, quam à fundamento extruxit, ſibi vivens poſuit. Quieſcunt ſimul Anna, Eliſabetha, & Maria Uxores cum Carolo Principe filio primogenito.

In hoc templo quatuor ſunt organa, & quidem bina ſibi mutuò oppoſita. Sedilia in choro ex pulchro & fuſco ligno confectæ cernuntur pulpitum verò, cui liber

ſacris cantilenis plenus incumbit, ex orichalco conſtans quatuordecim librarum centenarios continere dicitur. Unum ex libris cantilenas ſacras comprehendentibus angulos orichalco obductos habens, & quá reſecta ſunt folia, deauratus quadringentis coronatis conſtare perhibetur. Suſpenſa in choro eſt ingens lampas argentea: Ante ipſum tabulæ duæ ſtant catalogum exhibentes omnium reliquiarum ſanctarum, quæ in hoc templo oſtenduntur, 7. nimirum ſunt corpora integra, 105. capita integra, 177. brachia & pedes, 364. Venæ, 1400. parva fruſta, & adhuc 1570. fruſtula. In altero Chori latere elegans fons aſpici meretur. In Sacratio parieti inſerta ſunt nonnulla gutturnia marmorea monachis inſervientia, qui ſe lavant, antequàm ad aram accedant. Appenſas ibidem cernere licet *Caroli V. Philippi II. & III.* imaginem, ac totius domus Auſtriacæ genealogiam: ut & pulchram aram auro obductam, in cujus extructionem 500. Ducati impenſi ſunt. In diverſis ex Indico ligno arcis ornatus ſacer reconditus jacet. Ex hoc ſacrario aditus patet in conclave aram, argentea candelabra, & cruces argenteas, auroque obductas ſuſtinentem, habens, in quo arcæ incluſa vaſa duo pretioſa oſten-

ſtenduntur:unum ex Sapphiro, Margaritis, & pretioſis lapidibus ſuperbit, & in medio ingentem Rubinum continet; alterum fuſili opere confectum, & itidem lapidibus pretioſis ſuperbum, ac à Cæſare Maximiliano, ut fertur, elaboratum, quo ad Sacramentum in pompa ſacra circumferendum utuntur. Crux quoque ibidē at ex puro auro, cui Margaritæ plures grandes, ac inprimis quatuor nucem odoratam magnitudine æquantes inſignem ſplendorem conciliant: Ut & alii lapides pretioſi, nimirum Sapphiri, Pyropi, Jaſpides, & Adamantes maximo pretio æſtimati. Liber auro munitus, & quater mille ducatis conſtans, in quo vitâ Chriſti à quodam monacho picta, & ab alio ad eam pertinentes pſalmi & reſponſoria propriâ manu adſcripti. Aliæ item res pretioſæ, & ſumptuoſæ veſtes ſacræ figuras varias acu elegantiſſimè pictas oſtentantes: illæ nimirum, quæ in *Caroli V.* exequiis funebribus uſurpatæ ſunt, & quinquaginta mille-coronatis comparatæ eſſe dicuntur: & aliæ poſtea in Regis *Philippi II.* pompâ funebri adhibitæ, quarum precium quindecim ducatorum millia eſſe ajunt. Veſtes porro ſunt Margaritis & Gemmis diſtinctæ, quæ priores precio longè ſuperant. Tegumenta, quorum

rum quadraginta tria unicuique altari tegendo inſerviunt, ex ſerico rubro texta, acu elegantiſſimè picta, & margaritis ac lapidibus pretioſis ornata, quæ profectò inter plurima viſu digniſſima eminent. Peculiares quoque veſtes adſunt in feſtis Sanctorum Apoſtolorum ſaltem induendæ. Arce tam ſumptuoſa veſtimenta cuſtodientes ex Cedri, Ebeni Indicæ, aliarumque arborum auro contrà æſtimatarum lignis compactæ ſunt; Theſauro huic tanto quindecim tonnarum auri pretium conſtituitur. Dictum conclave ſequitur capituli camera, cujus januæ inſcripti leguntur hi verſus ſupra *Chriſti* imaginem extantes:

Hic lapis offenſus feriëtque feretque ruinam,
Hic & inoffenſus petra ſalutis erit.

In altero autem latere depicta eſt *Virgo Maria* cum hâc inſcriptione:

Hanc hanc mirandam tibi protulit unio gemmam,
Autori chara eſt utraque petra Deo.

E regione *Jacobi Drenſe*, quem *Bertius*, *Jacobum Trezzo* nuncupat, architecti & ſtatuarii Itali, qui hoc monaſterium ædificavit, imago in conſpectum prodit, cum inſcriptione adjuncta *Chriſto divini templi lapidi præſtantiſſimo.* Artificis quo-

quoque cujuſdam *Abrahami* nomine effigies, & in cunis Chriſti jacentis, & dormientis, cui hæc verba adſcripta: *Cor meum vigilat.* Quantum ad periſtylium attinet, inter præcipuas totius hujus monaſteriis ſtructuras jure numerandum, in quo circumcirca parietes *Chriſti & Matris* ejus dilectiſſimæ hiſtoriam ſingulari artificio depictam oculis ſubjiciunt. In medio hydraulica opera per quatuor tubos marmoreos aquam ejaculantur; imagines elegantes exterius, atque intus leonem monſtrantia. Mox gradus ſe offerunt duobus ſimul adſcendentibus, quorum tamen unus alterum cernere non poteſt. Picturæ ibi elegantes & inter eas una *S. Hieronymum* cum leone, & altera balænæ cujuſdam Valenciæ capti, & 48. ſpithamas longe imaginem artificiosè conſpectui exponentes. Inde pergentibus occurrit Bibliotheca, cujus oſtium inſtrato opere variatum ex Germ. huc delatum eſt. Pavimentum marmore ſplendet; arcuatum tabulatum picturis variis librorum ſubjectorum materiæ, quam continent, reſpondet. Repoſitoria, & plutei cuncti ex ligno Indico parati, & marginum extremitas in libris deaurata. Quinque ordines pluteorum ſibi invicem impoſiti libros recipiunt, quiſ-

quiſque centum paſſuum longitudine ſe extendens. Cernuntur hic *Caroli V. Philippi II. III. & IV.* effigies, ac aliquot Globi, præcipuè verò unus cœleſtem & terreſtrem globum cum Planetarum curſu admirando artificio antè oculos ponens. Nulli Monacho librum ex Bibliothecâ ſecum in conclave ſuum ſumere licet, ſed in Biblothecâ ipsâ ſtudiis operam & tempus impendere unicuique integrum eſt. Ex hâc in aliam Bibliothecam deducuntur ſpectatores. Hæc libris manuſcriptis in ſuos pluteos diſpoſitis referta eſt. Germanis noſtris unus à *S. Auguſtino* de Sacro Baptismate propria manuſcriptus exhibebatur, ut oſcularentur. Narrabatur quoque ipſis, quod *Carolo Cæſari* pro his libris omnibus quinquaginta mille coronati oblati fuerint. Adeſt hic etiam *Papæ Pii V.* menſa, quâ in ſcribendo uti ſolebat; Et vetus Hieroſolyma, ut tempore *Chriſti* fuiſſe creditur, ex ligno opere ſectili admodum artificiosè confecta. Totum reliquum conclave effigiebus meris tectum inter alias inſpiciendam præbet *Johannis de Auſtria* imaginem, cum duabus lanternis, quibus in magno illo prœlio navali anno 1571. uſus eſt. In refectorium deſcendentium oculos paſcit pictu-

pictura ultimum judicium repræſentans, in quâ *Carolus V.* & *Philippus II.* à duobus angelis in cœlum portantur. In ſupremo Refectorii aut Cœnaculi loco menſa eſt, cui Rex cibum capturus aſſidet, quando in Monaſterio commoratur. In abſentiâ ejus Monaſterii præfectus, qui Prior vulgò appellatur, eidem menſæ accumbit. Porrò totum Monaſterium plurimis amœniſſimis ambulationibus cinctum horto inſigni, hydraulicis operibus, pulchris piſcinis, cellis profundis, Xenodochio, & Pharmacopoliis celebre redditur. Hæc *Author noſter* qui cum laudabili ſuo comitatu Germano egrediens monacho 20. reales obtulit, & eo negante pecuniam accipere Janitori quatuor donavit. Monachi enim hi admodum divites, ſunt, utpote quibus, ut *Neumayerus* tradit, Rex *Philippus II.* quinquaginta ducatorum millia in annuos reditus donavit. Regis Palatium ipſum, ſi cum monaſterio comparetur, vile eſt. In porticu quâdam pugna navalis *Johannis Auſtriaci* cum Turcis depicta videtur, & in Cœnaculo omnis generis aves, piſces & inſecta. Germani noſtri Oeconomum octo realibus donârunt.

VIII. Kal. Maji à meridie Eſcuriaco re-

relicto, ſterilem arenam peragrantes uſque ad ſecundum aut tertium milliare appropinquaverunt Madrito, ubi ſolum fertile incipit. Septem autem milliaribus confectis veſpertino tempore ingreſſi ſunt.

12. Madritum, quæ Mantua Carpetanorum doctioribus eſſe videtur. Eſcuriaci & Madriti diſtantiam *Merula & Bertius* quinque, *Nonius cap.* 71. & **Johannes de Laet** 11. *pag. deſcriptionis Hiſpaniæ.* 6. milliaribus Hiſpanicis, *Neumayerus* verò duobus Germanicis metiuntur.

Situs eſt hic locus in Caſtiliâ Novâ, quæ hoc tempore optima totius Hiſpaniæ Regio habetur, ſed ob imperium, quo reliquas premit, magna invidia laborat. Septentrionalem terminnm veteris Caſtiliæ finibus terminat; Reliquas ejus extremitates Luſitania, Eſtramadura, Andaluſia, Granada, & Valencia claudunt. Metropolis ejus eſt Toletum. Eam ſequitur Cuença vel Concha, alte & præcipiti ſcopulo inſidens, Regionis Sierræ caput. Vide *C. Ens in deliciis apodemicis pag.* 34. *Nonium. cap.* 73. *de Hiſpaniâ.* Eſt & Guadalajara civitas celebris, ubi ſumptuoſum & magnificum *Ducis de Infantado* palatium, & armamentarium inſtructiſſimum. Civitas hæc Guadalajara in-

inquit *Caſparus Barreiros*, *vel Barrerius*, ſita eſt in colle humili, quâ Henares fluvius præterlabitur. Muris antiquis clauditur, commodiſque ædificiis repleta eſt. In eodem Ducatu Infantadgo, vel Infantatus, atque ità etiam in Caſtiliâ Novâ reperire quoque eſt Urbem Hitam olim Ceſſatam, ut *Nonius dicto cap.* 73. *pag* 228. autumat. Muris ſepta excelſi collis lateri accumbit, arcemque in ejuſdem collis jugo habet, cujus mari ſenſim verſus urbem deſcendunt. Ejuſdem Caſtiliæ civitas eſt Medina Celi, olim grandis, & hodie Ducatus primaria urbs, octoginta circiter pagos ſub ſe habens: Ocanna item tria focorum millia numerans; quibus adjunguntur Madritum, & Alcala de Henares, de quibus poſtea. Huc etiam refert *Merula* urbem Siguenzam, cujus ſuprà in Caſtiliâ mentionem fecimus: ut & Alcantaram, ubi Tagus veteri quidem ſed inſigni ponte lapideo ſternitur, de quo *Merula cap.* 20. *pag.* 263. legendus. Sexcentos ſeptuaginta pedes longus, viginti octo latus, & in ſummitate ſuprà aquam ducentorum pedum longitudine extenſus ſex arcuatis columnis ſeu fornicibus incumbit. Quâ de re, ut & de Equitibus auratis Alcantaræ ordinis nomen debentibus, de urbe

Talavera ad Tagum ſita, altis, latis, & fortibus muris munita, & optimè ædificata, ac de Caſlona, quam utramque urbem cum Lezuza, vel Lebazuza ad Caſtiliam novam *Merula* refert, conſulatur *Nonius in* 39.63. *&* 64. *capitibus.* Tota autem hæc Caſtilia Nova in tres partes dividitur, quarum una eſt Sierra, altera Algarria, vel Henares, & tertia Mancia nuncupantur. Sylvoſa admodum paucorum fructuum proventu gaudet, hortis tamen abundans, & piſcibus quos Tagus copioſè ſufficit.

Ut ad Mantuam Carpetanorum redeamus, quorundam opinione pagus eſt, cum muris deſtituatur, undè vulgo dicitur, duos ſplendidiſſimos, & magnificentiſſimos pagos eſſe in Hiſpaniâ, Madritum puta, & Valdoledum. Sed hodierno tempore ob magnitudinem, vetuſtatem, & Regiam aulam inter Urbes locum ſuum tenet. *Nonius*, & *Thuanus lib.* 120. Mantuam Carpetanorum appellant. Fortunatiſſima totius Toletani Epiſcopatus civitas eſt, ut *Nonius* eam deprædicat. Excelſiore ſitu elata plurimam ſui partem Septentrioni obvertit, inferius lota fluviolo Guadarrama, qui ponte tectus eſt. Circumdata eſt agro ſic ſatis fertili, & fodinis multis, ex quibus

ſili-



ſilices,& pyritæ eruuntur,qui lapides poëtæ Hiſpanico *Johanni de Menna* anſam præbuerunt, ut Madritum igne cinctum nominaverit. Aëris ſalubritas haud exiguum ipſi laudem & famam conciliat. Nam cum *Cæſar Carolus V.* diuturniore febri vexatus in hunc locum ſe recepiſſet, paucis diebus eâdem liberatus eſſe fertur. Populoſiſſimarum totius Hiſpaniæ Urbium unam teſtatur rhedarum & curruum multitudo, quorum ſæpè centum,præter mulos & nobiliſſimos equos, alicui plateas pervaganti occurrent. *Wilhelmus Neumayer* circiter ter centena hominum millia in hâc urbe habitare ſcribit. Incolæ veſtitu ſumptuoſo ſe oſtentant, ſed ædificiis grandes ſumptus non impendunt, à *Philippo II.* prohibiti, quo minus grandia palatia erigerent. *C. Ens.* docente 128. turres circà urbem numerantur. Palatium Regium non quidem admodum ſpatioſum, ſed tamen aſpectu externo inſigne colli appoſitum eſt, & fluviolo dicto lambitur. Anno 1617. in tres erat diſtinctum partes, quarum una deſtinata erat habitationi Regis, altera principum juniorum; & tertia *Ducis de Lerma*, ſummâ apud Regem tunc temporis authoritate valentem, & cum ipſo Rege regentem. Quantum ad Re-

gis conclavia attinet, primum eſt, quod ſaltationibus & tripudiis deſtinatum plurimarum civitatum, & imaginarii prœlii, in quo equis & lanceis concurſum eſt, & Galliæ Rex *Henricus II.* vitæ jacturam fecit iconibus ornatur. Parvum huic adhæret aliud, Ixionis, Tantali, & Siſyphi tormenta, quibus apud inferos torquentur, in tabulis elegantiſſimè depicta oculis inſpicienda offerens. Rariſſimi & maximi artificii opera eſſe dicuntur. In feneſtrâ picturam cernis, in quâ *Cæſar Carolus V.* & *Saxoniæ Elector* ſcorpione ſeu arcu ſcopum petunt. Proximum eſt Sacellum, quod *Carolus V.* extruendum curavit, in quo inſignis artificii pictura ex *Apocalypſi Johannis*: Inde Germani noſtri peregrinatores deducti ſunt in porticum Regiam, introitu ingentis magnitudinis chalybeum ſpeculum monſtrantem, in quo totius porticus imago relucebat. Feneſtræ omnes ex cryſtallo, & omnes anguli, januarumque, & feneſtrarum poſtes & fulcra ex optimo marmore facta. Ex porticu in Auditorium, in quo Rex Legatos, & alios audire ſolet, perrexerunt. Totum deauratum camino ex jaſpide conſtructo ſuperbiebat. Mox alia ſequebatur porticus, in introitu comeſſationes, & prægrecationes ele-

gan-

ganti pictura adumbrans, ac porro Equum Trojanum oſtendens, & ſeceſſum, in quo Rex meridianæ quieti indulget. Ex eâ in parvum conclave ingrediebantur, in quo Rex prandere, & cœnare conſuevit. *Cæſar Carolus V.* id ſtruxit; Ejus autem ſymbolum paſſim Caminis inciſum eſt. Succedit aliud Auditorium cum throno ex nigro holoſerico; in quo tabulatum deauratum, & parietes aulæis & tapetibus Scipionis hiſtoriam exhibentibus veſtiti ſunt. Porticus proxima depictos habet viginti duos Luſitaniæ Reges, uſque ad *Sebaſtianum*, depictam item pugnam in Africâ, in quâ ipſe Regum ultimus cum potiſſima Nobilitate periit, Cœcus quoque Organiſta ibi cernitur, cum mensâ in quâ urbium nonnullarum effigies. Suprà porticum feneſtra eſt, ex quâ in porticum Galliæ Rex *Franciſcus I.* cum captus eſſet, proſpicere poterat. In vicino conclavi Rex menſam habet, in quâ globulis, ſeu ſphærulis per foramina propellendis ſe excercere ſolet. Ex hoc egreſſi veniebant in Cœnaculum ſeu tricilinium Principis, in quo duæ argenteæ erant menſæ, tapeta pulcherrima, & Principiſſæ Gallicæ, reginæ jam Hiſpanicæ lectus quam ex Galliâ ſecum attulerat. Facilis ad hæc

conclavia eſt aditus, eò quod Germani ſatellites ſemper præſto ſunt, qui aliquem in eâ deducunt: Munera tamen hic duplicanda, cum diverſæ perſonæ operam ſuam offerant. Ex arce in Regis armamentarium tranſibant. Conclave hoc ſpacioſum octodecim arcis complectebatur. In dextro latere *Cæſaris Caroli V.* In ſiniſtro verò *Philipporum II. & III.* arma erant. In pariete Speculum Chalybeum unicuique id induenti imaginem ſuam ſtaturæ ſuæ reſpondentem exhibet. In primâ arcâ erant *Caroli V.* arma, quibus Anno 1555. uſus eſt, cum urbem Tunis in Africâ occuparet. Regis item Africani pileus argenteus, & arma Turcico more parata. Dicti *Cæſaris* veſtes, quibus armatum ſe tegebat, ex puro argento & auro conſtantes, & adeò graves, ut maximè mirum ſit, quo pacto ſimul & veſtibus & armis tàm gravibus uti potuerit. Gladius ipſius, quem ultimum uſurpavit, niger eſt. Secunda arca comprehendebat armaturam, & tunicas armis tegendis idoneas, quas in bello contra Saxonem adhibuit, ut & nonnulli baculi rectionis & imperii militaris ſigna. Tertiæ arcæ incluſo erant arma deaurata, quibus coronationis tempore indutus erat. Gladius etiam ipſi donatus à *Papa*

Pau-

Paulo III. ut contrà hæreticos eodem uteretur; ut & parva ſclopeta ephippiis ejus alligari ſolita, arma, quæ ad ludicra cataphractorum equitum exercitia adhibebat, chlamydes ipſi tàm in pedeſtribus quam equeſtribus certaminibus uſitatæ cum gladiis ad eas pertinentibus, inter quos nonnulli aquilâ bicipite notati, & ab ipſo in Belgio uſurpati. Scorpiones quoque aliquot, venabula, jacula, & lanceæ quibus uſus eſt. In cæteris arcis, aut armariis videre eſt *Ferdinandi Catholici* arma deaurata, & argenteis, aureiſque clavis munita, in quibus ſolum aurum quinquies mille coronatis æſtimatur; arma ultimi Regis Mauritani, in Granadæ regno, quibus munitus fuit, cum poſtremo conflictu vinceretur: *Cæſaris Caroli V.* tegumenta bellica ad duos equos, quibus in Germanico bello inſidere ſolitus eſt: duo pulchra ſclopeta deaurata à Duce Sabaudiæ Regi donata: arma quoque non ſolum auro obducta, ſed etiam lapidibus pretioſis exornata; equorumque habenæ & retinacula filis ex auro & argento ductis acupictorum artificio exornata; Arma Indica ex oſſibus piſcium horrendis larvarum faciebus picta: Captivi Electoris Saxoniæ gladius & ocreæ: Gladius in aquâ repertus, & accretis lapi-

dibus oneratus: Galliæ Regis *Franciſci I.* ut & ejus exercituum Ducis, ac *Bernardi Carpenſis*, (de quo *Mariana lib.7.cap. 9. 12. & 17.*) gladii: Regis *Ferdinandi Catholici* gladius. *Johannis Auſtriaci* acinaces, ac galeâ, quibus in prœlio contrà Turcas uſus eſt. Arca plena armorum, quæ idem poſt partam victoriam Regi donavit. Alia item conſervans arma ante *S. Quintini* fanum Gallis erepta. Cæſaris lectica, & ſclopetum matre perlarum ornatum, & ab Angliæ Rege donatum. Aliud auro munitum, & à quodam ex Biſcajâ oriundo confectum. Arma Regis *Philippi II.* quinquies mille, & quingentis ducatis conſtantia: Arma & veſtitus militaris equi, cui antè *S. Quintini* fanum inſedit. *Sebaſtiani* Luſitaniæ Regis arma. *Johannis Auſtriaci* vexilla, quibus in Claſſe contrà Turcam uſus eſt. Bipennes ſatellitum Cæſaris, cum Boloniæ eſſet. Proximé januam ſunt mirabilia arma Indica, cum arundinibus longis, quæ bobus imponi ſolent. Ante feneſtram pulchrum eſt altare, cum trahâ tribus rotis impoſitâ, & nonnullis tormentis campeſtribus parvis. His conclavibus ſubeſt Regis Equile, in quo trecenti equi numerantur. De Regiâ hactenus. Porrò in hâc urbe Madrito cernuntur

Xenodochium *S. Hieronymi*, in quo mille & quingenti homines quotidie aluntur: & Templum *Nueſtra Sennora*, in quo multa miracula quotidie fieri dicunt, & viginti quatuor argenteæ lampades videntur. Jeſuitarum Collegium Rex, qui hoc tempore regno præeſt, in Academiam mutavit, & decem mille coronatorum aureorum reditu annuo donavit. Aliorum monachorum cœnobia non pauca quoque in Urbe cernuntur. Apud pontem antè urbem hortum Rex habet, in quo hydraulica opera nonnulla, & ex metallo equus illi in Ponte novo Pariſiis ſimilis, quem Mantuæ Dux Regi *Philippo III.* dono dedit. Horto qui *Ducis Lermæ* fuit, vicinum eſt Capucinorum cœnobium, cui proximus locus, in quo ferorum taurorum venatio inſtituitur, & omnis generis aves viſuntur. In eâdem viciniâ amœnum hortum Rex frequentare, & eorum qui curſus certamine ſe exercent, ſpectatorem agere ſolet. Inde haud procul amœnum templum, jucundaque deambulatio, in quâ veſpertino tempore plures curruum, & rhedarum ac equorum centuriæ delectationem hauriunt. In *Neumayeri* Relatione Hiſpanicâ me legiſſe memini, proximè magnum forum in templo crocodilum in Hiſpaniâ,

captum ſuſpenſum, & in Regio Palatio in domo quâdam Rhinocerotem eſſe, qui primus in Europâ viſus eſt.

Prid. Kal. Maji peregrinatores noſtri Germani exiverunt viſum Regiam Domum Pardo milliaribus duobus Madrito diſtantem, quæ arx in libero & plano campo poſita, amœniſſimis vivariis omnigenarum ferarum plenis cingitur, & quatuor turribus plumbo tectis ſuperbit. Cancelli antè feneſtras cœruleo colore picti & aurati, ut & porta auro obducta, & exornata pulchro admodum horologio, quod ſonans amœno concentu aures mulcet. Inſcriptio portæ hæc eſt: *Carolus V. Rom. Imper. Hiſpaniæ Rex* 1547. Atrium ingreſſo lapideus pons tranſeundus. Foſſæ omnis generis hortenſia opera accumbunt, ubi & aviaria tria varias aves incluſas continent, pictura exterius poſita gigantem, & adoleſcentem annorum novendecim, qui gigantis ſtaturam habebat, ut & duodecim annorum ſtaturâ vix trium annorum puellam æquantem, exhibet. Subſtrata porticus duabus decoratur tabulis venationem oculis ſubjiciens, quâ Saxoniæ Elector Cæſarem *Carolum V.* oblectavit. Admirando artificio una repræſentat hyemem, quâ venatione ſe exercuerat *Carolus* Imperator,

tor, adeò frigidam, ut canes ad ignem adducti ſe calefaciant. Supra primos gradus contignatio alba & deaurata varias picturas oſtentat: Supra ſequentes gradus Regis habitatio viſitur. In porticibus ſuſpenſæ picturæ pulchræ, quæ olim ad Mansfeldiæ Comitem pertinentes Lutzenburgo huc delatæ ſunt, ſuſpenſæ oculos delectant. Inde Sacellum ingreſſus opere tectorio albo & deaurato tegumentum cernit, & intriclinio ſequente tabulatum ſimile offendit pulcherrimis figuris exornatum: præcipuæ ſunt Regis Galliæ *Franciſci I.* captivitas: Fani *S. Quintini* obſidio: Urbis Granadæ occupatio: Hiſpaniæ quatuor flumina præcipua: Hiſpaniæ depopulatio: *S. Jacobi* Apparitio, quâ *Ordonium* Regem ad Mauros animoſe aggrediendum hortatus eſt. In parietibus etiam aliquot picturas cernere eſt. Inde per ambulacrum humile, anguſtum, & deauratum ingreſſus patet in conclave audiendis iis, qui Regem alloqui cupiunt deſtinatum, in quo judicium *Salomonis* & aliæ artificioſæ picturæ. Huic adjunctum eſt procœtion, hodiè ante cameram vocant. In eâ artificioſa pictura modum monſtrat, quomodo alicui vermis ſecandus. De iis dicitur quibus ſenſus omnes non rectè con-

ſtant, aut qui philauti nimium ſibi ipſis placent. Porrò in oculos incurrunt Deorum nuptiæ; Apulæi aſinus aureus; Dormiens fœmina, quam Cupido ſagittá petit. Pro hâc pictura quatuordecim mille coronatorum precium oblatum eſſe fertur. Conclave proximum huic eſt *la Sala del Emperador*, aut *el apoſento de cubris*, in quo cibi apponuntur. Ornamento ipſi ſunt prœlium navale ante Naupactum cum Turcis; pictura, in quâ *Philippus II*. filium primogenitum Deo conſecrat; Prœlium terreſtre antè Paviam cum Gallis factum, cujus hæc eſt inſcriptio. *Anno* 1525.

Cum Papiam cingit numeroſo milite Gallus,
Et timet invicti Cæſaris arma parum,
Vincitur, & captus, poſt funera multa ſuorum,
Imperio paret, Carole Quinte tuo.

Prope januam *Carolus Cæſar* inſidet equo, quo in prœlio cum Saxoniæ Electore uſus eſt. Hinc per duas cameras in pulchrum ambulacrum elegantiſſimis optice artificio depictis picturis inſigne itur. Proximè ſequitur Reginæ habitatio in quâ primum ſe offert porticus elegans tabulato picto & deaurato tecta, & nonnul-

nullis picturis ab *Hieronymo de Boſco* pictis exornata. In projecturâ quâdam eleganti tabulâ prœlium cum Saxoniæ Electore antè Mulbergam commiſſum adumbratur. Cubile Regis huic contiguum auro quoque obductum eſt. In triclinio pugna navalis *Johannis Auſtriaci*, & Trajecti ad Moſam, aliarumque civitatum obſidiones depictæ pendent. Vicinum aliud conclave *la Camera de retrete* appellatum effigiem habet Comitis *Henrici Naſſovii*: Huic ſuccedit cœnaculum duabus tabulis ex porphyrite confectis, & Camino ex eodem lapide extructo, & Saxoniæ Electoris picturâ, quemadmodum Mantuæ Carpetanorum ſuperbiens; Conclave item ſecretius admodum elegantibus picturis optico artificio adumbratis inſigne, cujus feneſtræ ſi clauduntur, lucis ſplendor per aliquot rimus quidem recipitur, ſed nullibi janua reperiri poteſt, ut nemo ſciat, quâ ingreſſus ſit. Inferius eſt Principis habitaculum, in cujus triclinio fœmina quædam depicta prolixam barbam è mento enatum habet: Monaſterii item Eſcuriaci, & avis peregrinæ ex monte Tabor adductæ, quæ in aquâ ſimul & terrâ vivere poteſt, effigies oſtenditur. Aliud quoque triclinium priori conterminum

nobi-

nobilitatur aliquot obſidionibus pictis; inter quas urbis Rhodi obſidio cum verſibus aliquot; Auxilium item quod Dux Parmæ Pariſianis civibus tulit. Poſtquam Germani noſtri Viatores omnia inſpexiſſent, exeuntes octo reales dono dederunt, ac veſpertino tempore in diverſorium ſuum Mantuæ Carpetanorum reverſi ſunt, ubi ſingulis diebus pro unius lecti uſu duo reales ipſis ſolvendi erant. Præſidiarii item Regis ſatellites, & milites ex Germaniâ crebris compellationibus & viſitationibus ipſis multum negotii faceſſiverunt. *Autor noſter* dicit, ſiquis delicato aliquo fruſto veſci velit, adeunda ipſi eſſe Legatorum diverſoria, aut ædes, ut ibi, præcipuè apud Reipublicæ Lucenſis legatum ſibi, precio tamen haud parvo, quod cupit, comparet. Diſtantiæ inter Auguſtoritum urbem Pictonum primariam in Galliâ, & Mantuam Carpetanorum centum & octoginta octo milliaria, quæ Gallicâ eſſe arbitror, numerantur; Horum Hiſpanicis, ut ſuprà diximus, minorum, & quater mille paſſibus, ſingula nempè, reſpondentium ſeptendecim, & dimidium cum quindecim milliaribus Germanicis, aut ſeptuaginta Italicis conveniunt.

Poſtquam Germani noſtri octiduum

Man-

Mantuæ Carpetanorum commorati fuerant, cum *Juliano de Flor* natione Gallo, qui jam viginti annos Madriti habitaverat, pacti ſunt pro ſingulis Aſinis decem Ducatos & dimidium, ut his de pabulo, & ſibi de victu proſpiceret in viâ, quam jam Ulyſſiponam in Luſitaniam ipſius ductu ingreſſuri erant, quamvis in viâ pro ipſo poſtea etiam ſolverint.

Kalendis Maji inter quintam & ſextam horam veſpertinam Mantuâ Carpetanorum decedentes ac amœnam viam latumque campum tranſeuntes, noctu audiebant mugitus ferorum & ſylveſtrium boum, qui ibi in ſylvâ quâdam abutuntur, & poſt milliaris ſex confectâ noctu hora decima ingrediebantur.

13. Urbem Alcalam de Henares, Regis *Alphonſi* cognomento Sapientis tempore Alcala *S. Juſti* appellatam, qui Sanctus, cum fratre *S. Paſtore* ſub *Deciano* Præfecto Martyrii coronâ coronatus eſt, ut *Prudentius* Poëta meminit. Complutum eſt ipſi nomen hodiernum: ſitus verò in Caſtiliæ loco amœno admodum, & gratam planitiem extendente ad fluvium Henares, quod verbum fœni, cujus magna copia ibi eſt, metam aut acervum denotat. Ovi figuram oblongo illo ſitu referens ædibus ſatis pulchris, præcipuè au-

autem plateâ quâdam admodum longâ, quam fornices tabernis mercatoriis abundantes utrimque ſtipant, ut *Nonius cap.* 72. ait, celebris redditur, & omnibus rebus præcunctis Hiſpaniæ civitatibus affluit. Rex Palatium hic habet. Academia Salmanticenſi ſecundum locum obtinet. *Franciſcus Ximenius Cardinalis, Archiepiſcopus Toletanus* eam anno 1517. fundavit, & in hâc urbe, anno 1515. ut *Merula fol.* 261. ſcribit, Biblia ſacra, ab hoc loco Complutenſia cognominata imprimenda curavit, & Bibliothecam inſignem inſtruxit: Vide *Alvarum Gomez. de Franciſco Ximenio lib.* 1. In Collegii templo ſepultus eſt, cujus Epitaphium in *Franciſci Sweertii pag.* 320. tale reperitur.

Condideram Muſis Franciſcus grande Lyceum,
Condor in exiguo nunc ego ſarcophago.
Prætextam junxi ſacro, galeamque galero,
Frater, Dux, Præſul, cardineuſque Pater.
Quin virtute meâ junctum eſt diadema cucullo,
Cum mihi regnanti paruit Heſperia.

Collegium dictum ſuperba eſt ſtructura, & catenis cincta, in introitu monſtrat Re-

Regem *Philippum II.* & aliquot ſuos benefactores, inter quos & *Dux de Lerma*, ſed oculis erutis. Ampliorem ejus deſcriptionem vide apud *Melchiorem de la Cerda in Sermonis latini apparatu.* Collegio huic confine eſt Franciſcanorum monaſterium in cujus ſacello quidam *S. Julianus*, & alii duo Sancti, in alio quoque *S. Diego* terræ mandati quieſcunt. Monachus, qui viatores noſtros circumducebat, & ipſis cuncta ſpectanda exhibebat, unicuiq; dabat tres terreos globulos, ex terrâ effoſſus, ubi *S. Diego* humatus eſſe creditur, & terræ ſigillatæ haud multum diſſimiles, qui aquâ & aceto macerati, & vulneribus impoſiti ea curare & febri mederi dicuntur. Jeſuitæ tunc temporis in hâc urbe Collegium extruere incipiebant. Pertinet autem hæc ipſa ad *Archiepiſcopum Toledanum*, & patria eſt *Chriſtophori à Vega* Medici celebris.

VI. Nonas Maji ponte fluvio Henares impoſito, & colle acclivi ſuperatis per planitiem non uſque adeò cultam quinque milliaribus confectis veſperi ſe contulerunt.

Argandam oppidulum exiguum cum arce, aut potius domo voluptuaria, olim ad *Dominum Kevenhulerum*, ſed tunc tem-

temporis, anno nimirum 1617. ad *Ducem de Lerma* pertinens.

v. Non. Maji, itinere per vineas tendente, ad dexteram occurrebat Domus Regis Venatoria, & poſtea fluvius Xarama, quem pontone trajecerunt, pro homine & aſino quovis 3, quartas ſolventes. Sequebatur planities ſed non culta, quâ relicta, & quinque magnis milliaribus confectis à meridie pervenerunt.

Aranjues, aliâ, ſi rectam viam teneas, ſeptem tantum milliaribus Mantuâ Carpetanorum diſtantem. Locorum omnium longè latèque ſitorum amoeniſſimus, duorum fluviorum Tagi, & Xaramæ fluctibus, ferè, ut Inſula, ambitur. Vide Johannes de Laet *in Hiſp. deſcriptione pag. 32. vel pag. 42. edit. Elzevirianæ Lugd. Bat. ed. anno* 1619. Duplici ponte fluvii ſternuntur. Ex priore ponte ingredientibus patet longa & ſpatioſa platea tiliis utrinque conſita, quam quatuor currus lateribus junctis percurrere poſſunt. In eâ per milliare unum, aut ulterius ſe extendente ſub tiliis tanquam ſub tecto aliquo pedites, equites, & currus iter facere ſolent. Horti tres pulcherrimi hoc occurrunt. Medius pulcritudine cæteris præſtans arcem conterminam habet; propter cujus introitum do-

domus ab aliis ſeparata cernitur ſedes cujuſdam Comitiſſæ Gallicæ, cum hâc inſcriptione: *Benedicite fontes Domino.* Inde pons quidam ſuperatus ducit ad primum opus hydraulicum, in quo noſtri Germani egregie madefiebant, propter hoc aliud eſt, in quo quatuor puellæ aquæ motu circumaguntur. His adſtat ærea ſtatua nudæ Priapo ſimilis, ex cujus membris omnibus aqua erumpit. Antrum hic artificioſum duos Dracones oſtendit, cum avibus pluribus impoſitis, qui aquâ moti cantant; mox auditur organum hydraulicum, cum tubis & cornibus ab aquâ motis, & concentu grato aures permulcentibus. In altero antri latere quatuor tormenta parva, & Satyri, ac feri homines cernuntur, ſupra quos anni 1607. eſt inſcriptio, cum *Regis Philippi II.* ſtatua. Cupreſſi pulcherrimæ & roſæ albæ, ſiquis petat, aquis conſperguntur. In duobus porrò locis ex fontibus marmoreis, & quatuor tiliis aqua copioſiſſimè ſalit. Ambulacrum ſequitur cupreſſis munitum, & area ſpatioſa aliud hydraulicum opus marmore colorem ferreum imitanti incluſum oſtentans, cujus faſtigio fœmina impoſita undique aquam ſalientem ejaculatur. Conchæ plures item pulcherrimo aſpe-

ctu aquam ejiciant. Aliud porrò ambulacrum opere topiario exornatum fontem habet, cui nigra ſtatua impoſita eſt, & ſub eâ quatuor puelli aquam emittunt. Proxima eſt porticus topiario item opere inſignis, in quâ Cupreſſus procera Galli cujuſdam opus, virginis imaginem repræſentans, & eâ ratione ſe expandens, ut perfectum corpus faciat. In area ſequente, & muris incluſo ex viginti ſeptem feneſtris aqua emergit. Virgo impoſita ſpectatores aquis largè conſpergit. Extremus hortus opere topiario quoque elegans omnigenis animalibus, navibus, curribus, viris, aliiſque rebus decoratur: Tertius verò opere topiario totus conveſtitus eſt. Arx haud multa momenti alicujus oſtendit. In ea tamen Rex *Philippus III.* ſæpè commorari ſolitus eſt.

Horâ quartâ à meridie peregrinatores noſtri Germani huic profecti, & ſub pulchris arboribus iter facientes pontem flumini Xamaræ impoſitum tranſibant, & pro quâvis perſonâ & ſingulis equis quartam ſolvebant. Multos autem ibi camelos, quos Rex alit, cernebant, ac per incultum diſtrictum pergentes, nocteque oppreſſi milliariis quatuor confectis perveniebant.

Aſſequen, in diverſorium ab omnibus

aliis



BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III NAPOLI

aliis ædibus remotum, quales Ventæ omnes apud Hiſpanos, ubi pavimentum ipſis ſtrati loco quietem concedebat. Haud procul ab hoc loco Regis domum Venatorium conſpicabantur.

1v. Non. Maji propter flumen dictum per ſolum nonnihil cuitum promoventes, & tria milliaria conficientes maturè excipiebantur ab Urbe.

15. Toleto fere in Hiſpaniæ totius umbilico ſitum habente, & ſolum aſperum, ac clivoſum occupante, quam majori ex parte amnis Tagus ambit; Reliquam verò ejus partem muri, ac propugnacula validiſſima cingunt: Muris centum & quinquaginta turres inſident. Conſule *Rodericum Toletanum lib. 3. de rebus Hiſpaniæ, cap* 11. *& L. Nonium cap.* 59. *Hubertus Thomas Leodius, qui anno* 1526. *in hanc urbem venit, in Electoris Palatini Friderici II. vitâ* eam deſcribit ut ſequitur. Toletum aſperæ, & ſcopuloſæ, ac aſcendentibus deſcendentibuſque haud exiguam moleſtiam exhibeat, altitudini inſidens in mediâ penè Hiſpaniâ ſedem habet. Ab unâ parte Tajo fluvius muros ejus lavans acceſſum ad urbem penitus negat. Ab alterâ parte ad Septentrionem converſa muri validi, & centum ac quinquaqinta turres eam firmi-

miter cuſtodiunt. Plateæ quidem anguſtæ ſunt, ſed ædes intus commodiori & pulchriori ſtructurâ factæ externum ſui aſpectum ſuperant. Cathedrale Templum ſpatioſo ambitu ſe explicans magnificè conſtructum eſt, & dives reditibus annuis ingentes theſauros poſſidet. Hactenus *Leodius*. Ut alii tradunt, Agri ſolum leve, & arenoſum eſt; rarò hic pluit, rari fontes atque rivuli; quà Tagus fluit, vallis eſt admodum læta & fertilis, licet anguſtior; cœli egregia felicitas ſerici & lanificii commercium opulentem. Videatur *Boterus delle relat. univerſ. lib.* 1. *part.* 1. *Authoris noſtri* deſcriptio hæc eſt; Caſtellæ Novæ caput eſt Toletum, & Hiſpaniæ centrum, ut ſcribit *Merula part.* 1. *Coſmogr. lib.* 2. *cap.* 20. *fol.* 261. Olim Regum hic aula fuit, ut peculiare Regnum haberetur, & adhuc Hiſpaniæ Rex Toleti Regem ſe profiteatur. Impoſita hæc Urbs altiori monti, ad Tagum flumen, aliquot milliarium diſtrictu ambitur, quem venenoſis animalibus carere perhibent. Præſidium duobus militum vexillis conſtant in eâ Rex alit. Muris ſic ſatis validis cincto centum & quinquaginta turres numerat, quanquam non omnes videri ſimul poſſunt. eam Rex *Wamba* anno poſt natum Chri-
ſtum

ſtum 673.amplificavit. Vide *Marianam lib. 6. cap. 14. & Nonium pag. 184.* Antè urbem Amphiteatri Reliquiæ cernuntur: *Extra muros veſtigia magni olim Theatri ſparſa videntur*, inquit *Nonius ibidem, & Merula dicto f. 268.* Porrò viſuntur Xenodochium præclarum à Rege *Phil. II.* excitatum, & ſub arce aliud ægros, & ſenectute confectos Ordinis *S Jacobi* Equites recipiens. Portæ, per quam urbem ingreſſi ſumus, admodum ſpectabili impoſita eſt *Caroli V.* gladium & imperii aquilam manibus tenentis ſtatua. Urbem nobilitant Academiâ, Archiepiſcopatus, ſeptendecim ad minimum concilia in eâdem celebrata & ſerici commercium; ſiquidem ad decem millia ſerici ac panni textorum cum iis, qui ad ipſos pertinent, in eâdem numerari dicuntur. *Iidem Nonius & Merula d. locis.* Optimi quoque gladii hic parantur, à *Sebaſtiano Hernando* cum primis, & *Saguno.* Præ cæteris omnibus tria hic viſu digniſſima ſunt. Primum eſt, Templum inter præcipua totius Hiſpaniæ eminens, de quo *L. Nonius d. l. pag. 183. Templum reliquas Hiſpaniæ ſacras ædes longè ſuperat.* Opere facto in altum evecta turris translucida eſt. Sacellum in æde ipsâ tumulos continet Archiepiſcorum ex marmo-

more factos, cum nominibus inſcriptis inter quæ & *Alberti Auſtriaci Archiducis* nomen tumulo inſcriptum adjunctis his verbis : *Belgarum rebelliam*, *Gallorum hoſtium Profligatori.* Interius templi penetrale ornatur ſimulachris lapidi inciſis, Chriſti vitam ob oculos ponentibus, & totum ambitum ejus circumdantibus, quibus appenſæ videntur argenteæ lampades quadraginta, & thuribula plurima ex argento parata. Porta nomine *Puerta de noſtra Sennora* ex metallo tota conſtans nonniſi magnorum Feſtorum diebus ſolennibus panditur. Proximè jacet lapis in quo *S. Maria* ſtetit, cum *S. Illephonſo*, vel *Ildephonſo* anno 669. mortuo apparuit : Hic frequentibus oſculis ſummâ humilitate exhibitis honoratur. In Sacrario ſubterraneo loculus ſeu feretrum *Sancti Eugenii* exuvias mortales continet. Hortus apud periſtylium vel porticum ſacram cedris ſcatet. Archiepiſcopatus, cujus hæc civitas ſedes eſt, inter omnes primas tenet, quanquam Bragenſis Luſitaniæ Epiſcopus Primarius cum Primatum ſibi vendicet, cujus rei in præcedente capite mentionem fecimus. Sine hoc Archiepiſcopo, qui proximus à Rege, nihil de Regno conſtituitur. Ei præter municipia & pagos

gos ſeptendecim urbes ſubjectæ ſunt. De reditibus ejus annuis idem caput conſule. Quadraginta habet Canonicos, & inter eos quinque Cardinales, quorum nonnulli triginta, alii quadraginta, quidam etiam quinquaginta mille Ducatorum reditus annuos poſſident: Alterum in hâc Urbe ſpectatu dignum eſt admirandum illud opus hydraulicum, à *Janello Turiano Cremonenſi Italo* excitatum, quo aquà ex flumine per ducentos & quinquaginta gradus (*Neumayerus* quingentos & quinquaginta gradus habet) in altum propellitur, & in Urbis ædes plæraſque maximo incolarum commodo, deducitur. Quà in arcas aqua delabitur, pons eſt Tagum tegens, opus ſanè mirum, quamvis uni fornici imitatur. Tertium, quod contemplationem meretur, Palatium eſt à *Carolo V.* inchoatum, ſed nondum ad finem perductum. Præter hæc tria multæ adhuc ſunt ædes ſacræ, & monaſteria diverſa, in quorum uno ad Carmelitas pertinente *Lopeziorum* ſepulchra oſtenduntur. Hæc *noſter Author*, qui etiam refert, ſe & comites ſuos nimis incolarum clamoribus vexatos, imò ſtercore vaccino petitos, ſibi novos pileos in Urbe hâc emere coactos fuiſſe. Doctrinâ & eruditione nobiles in

hâc Urbe fuerunt, *Aloyſia Sigæa* virgo admodum erudita, *Franciſcus Vergaras*, & *Antonius Covarruvias* & duo *Alvari Gomezii*. Plura de hâc urbe noſſe cupiens præter citatos authores etiam legat *Gomezium lib. 6. de rebus Jacobi Arragoniæ Regis*; *Novagierum in itinerario*; *Petrum Medinenſem*; *Luc. Marin. Siculum lib. 2. de rebus Hiſpaniæ & C. Ens in deliciis Apodemicis per Hiſpaniam.*

A Meridie Germani ſæpius nominati Toleto abierunt, & incultum ſolum per quatuor milliaria ſe extendere pervadentes veſpertino tempore appulerunt ad Iraxon pagum exiguum in quo pernoctârunt.

III. Non. Maji populoſo & ſatis culto tractu quatuor milliaria longo per errato inciderunt in municipium.

Cebolam, frumenti & vini ſolo feraci circumdatum, à meridie ſimilem diſtrictum quatuor milliarium peragrârunt, & paſſim in fluminis Tagi ripâ plurimos boves & porcos viderunt, quos in Caſtellæ regno hactenus non viderant. Veſpera ingruens per pontem ſatis infirmum, & dimidiâ parte lapideum eos detulit in urbem.

Talaveram. Urbs ſeu potius oppidulum validis, altis, & craſſis muris incluſum

ſum & in Archiepiſcopatu Toletano ad Caſtellæ Novæ Regnum adhuc pertinens planitiei ad Tagum flumen incumbit. Aëre ſalubri, ſoloque fertili gaudens nobilitatur vaſis terreis, quæ in eo finguntur. Videatur Johannes de Laet *in deſcriptione Hiſpaniæ pag. 32. vel pag. 42. edit. Leidenſis.* Nomen ipſi quoque eſt Talavera de la Reyna, de cujus nominis origine *Nonius cap.* 63.

Prid. Non. Maji ſex milliarium iter per planum & æquum campum, ubi multas oleas, aquilam, & miræ magnitudinis lacertos videbant, eos circà meridiem deferebat in Urbem.

Puerte del Arçobiſpo, ſic ſatis pulchram, Archiepiſcopo Toletano ſubjectam & Tago flumini appoſitam, qui hic eleganti ponte ex lapide quadrato conſtante ſternitur. In hâc urbe videbant taurorum venationem. Eos longo baculo, cui ferrum acutum affigitur, jaculari ſolent.

16. Apud hanc Urbem Eſtremadura Regio initium ſuum capit. Bœticæ pars *à Nonio cap.* 7. Bœturia, & à *Joanne Geneſio Sepulveda in epiſt. clar. viror. ad F. Pincianum* Petroche nuncupatur, in quâ Geographi Vettones antiquos locant. Occidui ejus fines Luſitaniam, Se-

ptentrionales Caſtellam novam, Orientales Granadam, & Meridionales Oceanum attingit. Caput ejus olim erat Merida vel Emerita, hodie Badajoz novem milliaribus à priori ſemota: A nonnullis ad hanc regionem quoque referuntur urbes, Placentia locus amœnus omnis generis fructibus & pane albo pulcherrimo nobilis; Coria oppidulum exiguum, & nihil illuſtre ſortitum præter templum; & Alcantara, de quibus ſuprà in Novæ & Veteris Caſtellæ deſcriptiones mentio jam facta eſt Alia porrò oppidula, pulchraque municipia, & pagos habet hæc provincia æſtivo tempore tamen incolis multis non frequens, utpote quæ æſtivis menſibus præter cæteras Hiſpaniæ regiones Soli maximè expoſita eſt. Hyberno tamen tempore amœniſſima, paſcuis lætiſſimis abundat, & rei pecorariæ dives eſt. Fructus etiam fert, & arboribus omnigenis veſtitur.

A Meridie ſuſcepto iterum duorum milliarium itinere per colles nonnihil altos noſtri in pago vili nocturnæ quieti indulſerunt.

Nonis Maji aſpera & incommoda per montes Guadalupenſes viâ noſtros per quatuor milliaris promovit ad Ventam ſeu diverſorium in montibus ſitum, in

quo

quo pranſi ſunt. A prandio hinc tribus milliaribus confectis adventantes excepit.

17. *Guadalupa* civitas, à quâ dicti montes nomen ſortiti ſunt. Hi auri & argenti fodinis opulenti aquam vivam ex fontibus amœnis emittunt, & ſingulari roſarum fragrantiſſimarum genere, optimoque ſubere celebres redduntur. Monaſterium & urbem verſus vineæ frequentes, & plurimæ arbores mala aurea, ficus, alioſque fructus ferentes conſpiciuntur. Monaſterium & oppidulum Gadalupa, Guadalupia, vel Aquæ Lupiæ ſedem habet in valle arboribus adeò ſcatente, ut inſtar ſylvæ alicujus grandis in conſpectum veniat. *Populi*, *inquit*, *Nonius pag.* 193. *alicubi in tantum altitudinem enatæ, ut navium malis inſerviant; nonnullis in locis luci inſtar denſæ.* Commodum incolis haud exiguum exhibent fluviolus Guadalupe, & horti frequentis. Monaſterium ſpectabili ſtructura inſigne *S. Maria, vel Nueſtra Sennora de Guadalupa* nuncupatur, & ut Eſcuriacum, habitationem præbet Ordinis *S. Hieronymi* monachis, quorum tunc temporis centum & viginti numerabantur. In parietibus miracula hic facta picturis elegantibus exhibentur, in medio

monaſterio hortus mala aurea ferentibus arboribus conſitus & domus deliciarum cernuntur. Inde introitus patet in cameram pretioſas aquas & pharmaca, ac medicamenta omnigena, quibus omnis generis morbi curantur, cuſtodientem, cujus duo Medici curam gerunt. Hinc aſcenditur in ſuperiorem porticum, eleganti fonte præclarum, in quem aqua ex inferiori parte propellitur. In portica ſexaginta circiter libri in folio pulpitis impoſiti ad adytum pertinent. In templo multæ catenæ, ut & vexilla ab iis donata, quibus auxilium aliquod latum eſt, ſuſpenſa videntur. Apud altare ſummum quadraginta duæ lampades argenteæ appenſæ ſunt, ſuprà quas nigra *Mariæ* imago infantulum ulnis continens, & albam tunicam induta, cum duobus angelis deauratis ponè eam conſpicitur. Sub eâ tres argenteæ ſtatuæ principes perſonas quaſdam, ut ex aſpectu colligitur, repræſentant. Quando hæc ſtatua huic monaſterio donata ſit, & quibus miraculis ſe nobilitaverit, *Nonius in deſcriptione Hiſpaniæ cap.* 61. legatur, ubi etiam theſauri ſit mentio & reliquiarum, quas noſtri ob ingruentem noctem inſpicere non potuerunt. Nihilominus longam emebant chartam, quæ iſtius ſta-

ſtatuæ longitudini & craſſitiei reſpondebat. Antequam Rex Luſitaniæ *Sebaſtianus* expeditionem contrà Mauros in Africam ſuſciperet, in hoc monaſterio cum Rege *Philippo II.* colloquutus eſt, ut tabula quædam hic picta indicium facit.

VIII. Id. Maji itinere per dictos montes faciendo pergentes in jugis plurimas arbores malorum aureorum, & olearum feraces, ac in dextro latere aliquot eremitarum caſulas in conſpectu habuerunt, & quatuor milliaria emenſi prandendi cauſa ſubſtiterunt in pago.

Legrapa, multis olivarum hortis divitet ubi lardum optimum reperitur. Inde per viam quinque milliarium, paſcuis, arboribus & aliis rebus amœnam pernoctandi causâ properârunt in pagum.

El Campo, in quo, ut & priori, qualium vix tres bidui ſpatio offendebant, homines inveniebant octoginta anno habentes, qui ignorabant, quicquid via ultrà tria milliaria erat.

VII. Id. Maji quinque milliarium viâ admodum amœnâ per Miajadas municipium haud vile ad ventam ſeu diverſorium ducebantur. In viâ viginti magnæ pecudes erant. Oves Madrito huc aguntur, & pro ſingulis duo reales ſolvuntur.

Hinc noſtri Medellinum duobus milliaribus inde diſſitum, & *Ferdinando Corteſii*, qui Regnum Mexicanum occupavit, patriam proficiſci conſtituerant, exploraturi, num fluvius Anas ſe ibi terram conderet, ut ferè plærique ſcriptorum teſtantur, in milliarium tamen numero variantes, dum hi poſt, 15. alii poſt 10. nonnulli poſt 7. milliarium ſpatium confectum eundem iterum ex terrâ erumpere dicunt. In loco quoque non convenientes nonnulli Villahartam, quidam Argamaſillam, ac alii Medellinum appellant. Hâc de re ex veteribus conſulatur. *Plinius lib.* 3. *cap.* 1. ex novis, & quidem Hiſpanis *Ambroſius de Salazar in ſæpius citato libro fol.* 526. *Lucius Nonius de Hiſpaniæ fluvius pag.* 113. Ex Italis *Johannes Anton. Maginus in Geograph. Jo. Boterus part.* 1. *relat. lib.* 1. Ex Gallis *D. T. U. T. in commentario des Eſtats de Monde fol.* 238. *Pariſienſ. edit.* & ex Germanis *Munſterus lib.* 2. *cap.* 41. *fol.* 125. *Petrus Merula fol* 221. & *Thomas Lanſius in ſuâ conſultatione in orat. pro Hiſpaniâ pag* 273. *in* 8. qui tamen hoc addit, quod apud *Ortelium in Hiſp. generali deſcript. fol.* 16. *edit.* 1603. res hæc in dubium vocetur: quamvis Hiſpani cum *Plinio*, & vulgari opinione faciant,

ant,

ant, & nuper quidam, qui Hiſpaniam peragravit, mihi retulerit, quod terram equo tranſiverit, quà flumen illud ſub terrâ curſum ſuum promovet. Sed *Author noſter* affirmat, quod hanc rem interrogantes incolis, hanc meram fabulam eſſe, dicentibus riſui fuerunt. Omiſſo itaque Medellinum proficiſcendi propoſito itineris inſtituto porrò inſiſtentes à Meridie per quatuor milliarium viam amœnam & campos frumento refertos tendebant.

18. Meridam, quæ urbs *P. Merula part. 2. lib. 1. cap* 25. eſt Veterum Eremita, vel Auguſta Emerita, ut numiſmata antiqua teſtantur, & *Dio lib.* 53. tradit, quod *Auguſtus*, Cantabris, Aſturibus, & Luſitanis devictis; veteranos milites in Hiſpaniâ reliquerit, & huic civitati à ſe condita ſuum, & Veteranorum jam emeritorum nomen indiderit, ac Auguſtam Emeritam appellarit. Ejuſdem etiam meminit *Paulus Juriſconſultus lib.* 50. *ff. tit.* 15. *de Cenſibus &c.* Hinc hodierno adhuc die ab incolis altera Roma nominatur, *Cæſar Auguſtus* viam quoque ab hâc urbe, uſque ad Calis Malis, ſeu Cadiz ſternendam curavit: teſte marmore quodam antiquo, cujus inſcriptionem quæ hodierno adhuc tem-

pore in eodem legitur, *dictus Merula pag.* 284. ut & alia multa de hâc Urbe tradit. Loco campeſtri ſita, olim non Eſtremaduræ tantum, ſed & totius Luſitaniæ metropolis, ripam occupat Guadianæ fluvii, & ex florentiſſimo ſtatu ad ſummum incolarum infrequentiam dilapſa, nil niſi antiquæ magnificentiæ ruinas & parietinas, potentiæ Romanæ indicia, & reliquias oſtendit: ut *Nonius cap.* 31. *pag.* 108. refert, Priſcam ejus magnificentiam teſtantur quoque aquæ ductus duo ſparſis hinc inde ruderibus jam ad nihilum redacti, in quorum locum ſucceſſit alius aquam in urbem deducens, ſed longe à priorum magnificentiâ recedens. Pons lapideus pulcher fluvium Guadianam ſternit, anno 1610. ab exundantibus aquis diruptus, & ſumptuoſis impenſis reſtauratus. Alius item arcus in urbe *S. Jago* trophæum forſan, de quo *Nonius dicto libro pag.* 109. *Inſigne præterea antiquitatis opus conſpicitur hic Naumachia.* Theatri quoque veſtigia antiqua conſpiciuntur, ut *Barrerius* tradit. Solum urbem circumdans, quo uſque conſpectui patet, frumenti feraciſſimum, adeò ut urbs hoc jure totius Caſtiliæ granarium appellari queat. Præter omnis generis fructus ſaporem gratiſſimum

mum habentes herba hic etiam naſci fertur, quæ tinctoribus ad pannos purpuro & coccineo colore inficiendos inſerviunt. Monaſterium in urbe *S. Jacobi* Conventualibus hoſpitium præbet. Patria ipſa fuit *Deciani Poëtæ*, *& S. Eulaliæ.* Incolæ tenaciſſimo cultu Pontificiam Religionem colentes Germanos noſtros in plateis clamoribus & convitiis multis inceſſerunt, eos Hugenotas, & Lutheranos vocitantes, quod tamen noſtri ſuſque deque habuerunt, ne ob ogganiendo ipſis ſuſpicionem moverent.

vi. Id. Maji ſex milliarium via per paſcua plurima ovibus referta ipſos unicum pagum in excelſiore loco poſitum cum arce adjuncta cernentes & haud procul à flumine pergentes deducebat.

Talaveram de *Badajoz* municipium. A meridie iter ipſis fuit per paſcua & prata locuſtarum multitudine incredibili tecta, à quibus nonnunquam totum tractum illum ita infeſtari ajunt, ut Rex plurimos homines eas comburendi cauſa eò ablegare cogatur. Tribus milliaribus ſuperatis pernoctandi commoditatem offendebant in Urbe:

19. *Badayoz*: Hæc olim Pax, vel Pax Auguſta, Colonia Pacenſis à *Plinio* nominatur.

tur. *Paulus JC.* incolas Pacenſes appellat. Ex nomine Mauri poſteà Baxaugos, ac tanti Badaxos fecerunt, unde hodierno appellatio nata, ut *Caſpar. Barreiros apud Laetium in Hiſp. pag. 29.* docet. Excelſiore loco eminens inferius à flumine, quod hodiè Guadiana olim Anas, rigatur. Arboribus aurea mala, ficus, citria mala, & oleas ferentibus circumdatur. Magno ambitu ſe expandens in editiore loco caſtellum oppido quàm arci ſimilius oſtendit, ac mœnibus ſe tuetur. Cum in Luſitaniæ finibus ſita ſit, *Rex Philippus II.* hic caſtra metatus eſt, cum Luſitaniæ occupandæ causâ expeditionem bellicam ſuſcepiſſet. Pauca hic occurrunt, quæ aſpectum mereantur. Noſtris hic quantum pecuniæ ſecum haberent, indicandum, & pro centum realibus unus, ſcribæ autem duo ſolvendi erant. Liberi tranſitus ſchedam in tres menſes acceperunt immunes futuri, ſi intrâ hoc tempus huc redituri fuiſſent.

v. Id. Maji hinc diſcedentes ac pontem tranſituros adoriebantur cuſtodes in duas partes ſe dividente, ac ſpoliationem ipſis minantes, quamvis ſchedam ſuam oſtenderent. Sed primam cuſtodiam tribus, & alteram octo realibus ſedarunt,

runt, & tribus milliaribus à tergo relictis ingreſſi ſunt Urbem.

Elvas primam in Luſitaniâ ipſis occurrentem, & ut præcedens, in monte ſitum habentem. Circumjacentes urbes ad quartam milliaris partem remotas proſpectus ex eâ mentitur. *Andreæ Reſendio in Luſitan. locorum deſcript.* teſtimonio, hæc civitas ut ſoli fertilitate, & præclaris civibus inter cæteras Luſitaniæ haud minima eſt: Ità & olei præſtantiâ facile ipſis præfertur. Malorum aureorum copioſiſſimus proventus facit, ut vili pretio vendantur. Si Epiſcopale templum excipias, nihil hîc offendes, quod contemplationem mereatur Extra urbem tamen Aquæductus ſtructurâ ſuperbâ quidem ponti Segovienſi cedit, magnitudine operis eum longè ſuperat, ac ultrà milliaris longitudinem ſe extendit. Schedam in urbe Badajos ſibi traditam Noſtri hic oſtendere juſſi ſunt, quæ de novo ſubſcribebatur. Hic moneta Luſitana in uſu eſſe incipit; Caſtellanæ autem quartæ amplius non admittuntur.

A meridie iterum in itinere à cuſtodiâ detenti quatuor realibus ſe redemerunt. In ſolo inculto per ſex milliaria excurrente præter diverſorium ab ædibus omnibus remotum, & aliquot currus ſale onu-

onuſtos nil aliud obvium habebant, ac pernoctandi gratia ingrediebantur.

Eſtremos urbem, quæ Ciudad, magnitudine ad urbem Elvas accedit, ac in inferiori civitate ſpatioſam aream ſclopeti jactum longitudine æquantem habet. Vetus civitas, ſicut Badajos urbs, excelſiori loco inſidens mœnibus ſuis incluſa eſt.

Antequam ulterius progrediamur, de Luſitaniæ regno, in quo dictas civitates ſitæ, pauca dicenda ſunt. Luſitania hodie Portugallia veteris Luſitaniȩ maxima portio à Gallæciæ finibus ad Andaluſiæ terminos ſe exporrigens à Septentrione dicto Gallæciæ regno, & Minio fluvio, ab Occaſu & Meridie Occidentali Oceano, & ab Oriente Caſtilia, Andaluſia, & Eſtremadura regionibus finitur. Ejus ambitum *Boterus* 879. alii 850. *Merula* 880. milliaribus circumſcribunt. Longitudinem omnes 60. metiuntur. Vide *Nicolaum de Oliveira in deſcriptione Luſitaniæ, & inprimis Liſbonæ urbis ibid.* 1620. *impreſſa*, qui duobus in locis diverſis tradit; In ea 18. Urbes, quæ *Ciudades*, appellantur, & 414. alias reperiri, quibus ſi 200. & nonnulla oppidula adjungantur, numerum totum eſſe 630. civitatum. Plura quoque in hoc regno municipia ſunt, & pagi

& pagi. Nomen autem Luſitaniæ etiam Algarbiæ regnum complectitur, quod Luſitaniæ adhærens Hiſpaniæ regnorum omnium viliſſimum eſt, ac quatuor tantum ſub uno Epiſcopo urbes habet. Tavila, Lagos, Sylves, & Faro, quarum Tavila & Lagos naves commodiſſimo portu excipiunt, alius adhuc portus ſupra *S. Vincentii* Promontorium veteribus Sacrum Promontorium, ac aliquot alii minores navibus commodam ſtationem concedunt. Longitudini hujus Regni 27. milliaria Hiſpanica, atque latitudini maxime 8. adſcribuntur. Præter Algarbiam Luſitania quinque partes habet. Quæ inter Durium & Minium flumina intereſt, & ab urbe Porto ad Valenciam extenta 18. milliarium longitudine, & 8. aut 12. latitudine patet, 130. ditiſſima cœnobia, & 1460, parochias præter primatum Bragenſis Epiſcopatus, Epiſcopatum Porto, & quinque Templa Collegiata complectitur. *Porto oppidum portu clarum, ad Durii fluvii oſtium, unde Portugalliam dictam, quaſi Galleriæ portum autumat Reſendius.* Habet autem dicta Pars ultra 500. fontes vivos, 200. pontes lapideos, & 6. portus. Cæterum Archiepiſcopatus tres, Bragenſis, Lisbonenſis, & Eborenſis, quibus no-

novem Epiſcopatus ſubſunt, numerantur. Frumento Luſitania, præcipuè in locis mari finitimis non abundat, & ideo illud Gallia aliiſque locis petitur fructibus verò affluit, & metalli fodinas habet. Incolæ peregrinos maximo favore complectuntur, & Caſtellanos vehementer oderunt. Rei nauticæ peritiſſimi velorum inventores eſſe dicuntur. Poſt Lisbonam ex Urbibus primas tenent.
1. Bracara, hodie Braga, cujus Archiepiſcopus cum Toletano de Hiſpaniæ Primatu diſputat, quamvis hactenus lis ſit ſub judice: ut *Nonius cap.* 51. *pag.* 162. ſcribit. In Luſitaniæ eâ parte ſita eſt, quæ Interamnis nuncupatur, ut modo dictum eſt. Pervetuſta civitas uſque ad Gothorum tempora magnum nomen obtinuit. Anno 740. Rex *Alphonſus Catholicus* eam Saracenis eripuit. Henricus Luſitaniæ Comes ſequentium Regum origo in ejus Baſilica ſepultus eſt. Quinque milliaribus à mari diſtat. Archiepiſcopo jus Eccleſiaſticum & Politicum ſubeſt, qui his mille incolis imperat. Aër bonus, ſolumque circumpoſitum fertile & amœnum. Conſule porrò *Merulam*, qui prolixius hanc urbem deſcribit.
2. Ebora in campeſtri & amœno loco, planicieque cui montes ubique circumjecti,



BIBLIOTECA NAZIONALE "VITTORIO EMANUELE III" - NAPOLI



BIBLIOTECA NAZIONALE "VITTORIO EMANUELE III" NAPOLI

jecti, non ſteriles aut calvi, ſed denſis arboribus veſtiti, & in ſubjectos campos fertilitate mira luxuriaturos, ſi culturæ debitæ, & fluminis adjumentum accederent, deſpicientes. Archiepiſcopatus & Academiæ ſedes 3550. paſſuum ambitu concluditur, ut *Jacobus Menætius* ſcribit. Prolixam ejus deſcriptionem quære in *libro Urbium*; item apud *Andream Reſendium*, *L. Nonium*; *& Caſparum Ens in deliciis apodemicis per Hiſpaniam pag.* 82. *& ſeqq.* Admodum vetuſta, & Romanorum temporibus celebris Liberalitas Julia nominabatur. 5 Conimbria vulgò Coimbra amœno & pulchro ſitu ſcopulum vinetis & olivetis undeque ſeptum occupat; diviſa in duas partes à fluvio Mondego, vel Mondega, quem *Strabo* Muliadem, *Plinius* Mundam appellant, & duo pontes tegunt. Fertiles & amœni montes eam intus limpidiſſimam aquam aqua ductus à *Rege Sebaſtiano* magnis ſumptibus anno 1572. finiti auxilio habentem circumeunt. In Academiâ ejus celebri magna ſtudioſorum eſt frequentia. Octo ab hâc urbe milliaribus abeſt fons Ferventia in campo Cadima, haud longè à Tentugala ſitus, cujus aquæ omnia quæ injiciuntur, conſumunt. *Nonius d.cap.*29.*pag.* 130. 4. Santarenum.

No-

Nonio teſte cap. 36. antiquiſſima civitas ad Tagum flumen in colle editiore 50. milliaribus Italicis Lisbona diſtans vinum frumentum & oleum ferenti ſolo, quamvis anguſtioribus terminis incluſo incumbit, & Veteribus Scalabis dicta eſt. E regione ac trans Tagum, quadraginta mille paſſus ſupra Lisbonam Almerin pagus in diſtrictu ſedet plano, ſpacioſo, frumenti ferace, ad venandum admodum idoneo, hybernis menſibus ſalubri, & Regii deliciarum ædibus exornato, ubi Reges Luſitaniæ Hyeme commorari ſolebant, ut Johannes de Laet ex *Anton. Viperano* commemorat. 5. Lagos olim Lacobriga etiam inter præcipuas Luſitaniæ Urbes numeratur. 6. S. Jacobus de Cacem in collo excelſo, unde amœnus in mare proſpectus. 7. Sinis maritima urbs. 8. *Braganza* ad ejuſdem nominis Ducem potentiſſimum, & ditiſſimum pertinens. Vide *Andream Reſendium in deſcriptione locorum Luſitaniæ.* 9. Tomar veterum Neobantia, in eâ Luſitaniæ parte, quæ Ciſtagana nuncupatur, inter Santarenum & Coimbram vallem longam quidem occupant, ſed anguſtam, in ſiniſtra colles vitibus, & oleis conſitos habentem. In ſummorum uno ſupra urbem templum per-

pervetuſtum cernitur, ut & ædes amplæ, & pulchræ olim templariorum propriæ, nunc verò ad Fratres exercituum Chriſti pertinentes, ut dictus *Viperanus & C. Ens* proculdubio ex ipſo (nam rarò authorem aliquem citat) indicat. 10. Begia; Beia, vel Bexa quam Veterum Pacem Juliam eſſe ferunt. 11. Setubal. 12. Almada. 13. Viſco, & aliæ plures. Quæ porrò de hujus Regni proventibus & quo pacto ad Caſtellæ Reges pervenerit, dicenda hic eſſent, ea in fine præcedentis capitis legi poſſunt, ubi etiam de reditibus, nobilitate, Ordinibus Equeſtribus, ac ſimilibus nonnulla reperientur.

Ut autem ad noſtrorum iter redeamus, 17. Id. Maji urbe Eſtremos egreſſis viâ ſe offerebat incultos campos, & ſolum habitatoribus nudam permeans, & poſt ſex milliarium iter eos promovens.

Royellos, quæ civitas quatuor magnis milliaribus à ſe remotis viatoribus in conſpectum venit: In valle ſubjecta pulchrum cœnobium *de S. Loyo* aſpectu dignum eſt. A Meridie ſequebantur nonnulli colles & montes per tria milliaria magna, uſque ad urbem,

Monteamor, ædificiis, & cœnobiis ſpectabilem, monti partim inſtratam, par-

partim cum ejus devexitate deſcendentem.

111. Id. Maji trium milliarium ſpatio confecto in Venta magnifica in Regis *Philippi II.* honorem extructa prandebant, & à prandio milliarium octo magnorum viâ per arenoſum diſtrictum, illi, qui in Galliâ inter urbes Burdigalam, & Bayonnam extentus & Landes nuncupatus jacet, ſimilem Serenatâ cœnam ſumpſerunt, & quieti ſe dederunt in pago.

Aldea Gallega. Præter unicam ventam ſeu diverſorium omni vicinia deſtitutum nec domus nec villa, nec pagus occurrit. Proximè autem dictum pagum in amœniſſimo loco ſe oculis ſubjicit, haud magni momenti monaſterium *Nueſtra Sennora de Tabaja*, miraculis plurimis famoſum. Pagus in Tagi ripa locatus navigia ſubminiſtrat, quæ ſecundo flumine deſcendentia viatores Lisbonam deducunt. Pulchro, & intus planè deaurato templo inſignis ut & mola pulchra, quæ aquam deſcendendo dilabentem obicibus aquariis remoratur. Sal hic, ut Rupellis, paratur.

Prid. id. ipſo Pentecoſtes die navem conſcendentes per tria milliaria flumen ſecundum & ventus dimidius detulerunt.

Liſ-



BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III · NAPOLI

Liſbonam , ubi hoſpitio excepti ab Italo , cibis ſic ſatis lautis , ſed haud magni momenti vino tractabantur , & à pulicibus adeò vexabantur , ut moleſtiæ tantæ toleranda via pares eſſent.

21. *Lisbona* , *Lisboa* , *Oliſipo* , *Oliſippo* inter Europæ civitates potentiſſimas ditiſſima numerata , inter Hiſpaniæ urbes præcipua habita , & Luſitaniæ metropolis , de quâ *Nicolaus de Oliveira in dicto ſuo libro anno 1629. hic impreſſo* , ut diximus , ſequentia tradit: Civitas Oliſipo à Belem ad S. Bento patet duas leucas ; quod intervallum continuis ædificiis occupatus ; in medio autem ipſa civitas jacet , ſeptem ſatis altis montibus ſuperſtructa , quorum non modo convalles ſed & clivos occupat. Ex his montibus tertius altiſſimus & undique præceps , & rotundus, munitiſſimum habet caſtellum, altis muribus & turribus cinctum. Montium horum quinque validiſſimis muris circundati 77. turres altas , & 22. portas Tagum flumen , ac 17. ipſam terram ſpectantes numerant. In civitate ſunt quadraginta parochiæ , in quibus , ratione ſuperioribus annis accuratè ſubducta , fuerunt ſupra 29000. familiarum, & centum , & decem mille , & octingentæ animæ , præter trecentos clericos in eiſdem ec-

eccleſiis miniſtrantes. Sunt in eâdem viginti monaſteria religioſorum, in quibus variorum Ordinum Monachi mille trecenti ſexaginta quinque & octodecim religioſarum fœminarum, in quibus itidem variorum ordinum monachæ mille octingentæ, & triginta. In macello Oliſiponenſi quotannis mactantur 11000. boum, 100000. ovium 15000. caprarum, ita ut vectigal carnium in macello veneuntium in annos ſingulos locetur quinquaginta millibus Ducatorum. Tantus quotidie in circumjacente diſtrictu habitantium incolarum ad hanc urbem eſt affluxus, ut à curioſis obſervatum ſit, per portam *S. Antonii* indies 1500, jumenta ingredi, per *S. Vincentii* ſupra mille; per *S. Crucis* ſuprà 800. & per Spei ſuprà 1200. farina & fructibus omnis generis onuſta. Nam terra circumpoſita fertilis eſt, & in ambitu urbis ad quinque leucas, veluti circino circumaucto, parochiæ cum ſuis templis ſunt 59. ac 13403. foci, & 46400. animæ ac pari ratione trans Tagum, in eodem ſpacio; 29. municipia & pagi cum templis ſuis, 7177. foci & 26386. animæ. In hâc urbe quaque grandes illæ naves, quas Caraquas vocant, ædificantur, & in unam navem cum ſuis armamentis & nautarum ſtipendio (mer-

cibus

cibus omnibus exceptis) antequam è portu Oliſiponenſi egrediatur, impendi 127500. ducat. Inter civitatem hanc & Cuſcaii, quinque. leuc. intervallo quinque ſunt arces: Prima munitiſſima, & ſplendidiſſima eſt Belem, in quâ multæ machinæ bellicæ diſpoſitæ; Secunda maxima, multiſque propugnaculis & machinis inſtructa arx *S. Juliani* ad ipſum Tagi æſtuarium, ubi mari miſcetur, in quâ ſeptuaginta majora tormenta bellica, & præſidium quadringentorum militum: Tertia, quæ Cabecca ſecca dicitur, in medio æſtuario, ſitu à naturâ munitiſſimo; Quarta arx *S. Antonii* à monaſterio ejuſdem nominis illi vicino ſic dicta: Quinta denique in oppidulo Caſcais omnibus rebus ad propulſandas hoſtium naves abunde inſtructa. Multa quoque ſunt Lisbonæ armamentaria, majorum tormentorum bellicorum armorum, & aliarum ad naves idonearum, rerum copiam cuſtodientia. Hactenus *Oliveira* cui tanquam indigenæ, & ſcriptori novo, meâ quidem opinione præ aliis fidem adhibendam cenſeo. Porrò legantur *Munſterus in Coſmographiâ lib.2.cap.*47. *fol.*135.*ult. edit. Baſilienſis de anno* 1628. *Geograph. Braun in lib. Urbium, Damianus à Goes in peculiari libello. P. Merula*

rula in 26. *cap. pag.* 286. *Luc. Nonius cap.* 35. *& alii* qui de hâc Urbe ſcripſerunt, quorum authorum libri, cum facile comparari queant, ex ipſis plura excerpere nolui: adjungens hic tantum ea, quæ *Author noſter* in ſuo itinerario annotavit. Omnis generis merces, inquit, ex omnibus terræ oris huc afferuntur: Omnes ex Orientali Indiâ naves adventantes huc appelluntur, nec Caſtellæ incolis, licet navibus ſui Indiam illam navigare, ſicut Luſitanis in Indiam Occidentalem navibus ſuis proficiſci prohibitum eſt. Hanc enim utriuſque Indiæ diviſionem duo iſta Regna mutuo pacto confifirmarunt. Diebus Feſtis majoribus triginta cantorum chori ex hâc urbe in circumjacentes, pagos & municipia mitti poſsunt;nec tamen Urbi ad ſolennitatem ſuam celebrandam intereà ulli cantorum deſunt. 131. Fraternitates pecuniam ad eleemoſynas colligunt. Conſul, quem Corregidor appellant, in publicum equo prodiens centum equis ſtipatur. Singulis trienniis Regni Gubernator ſummus ſeu Vicerex mutatur, & veteri novus ſuccedit, qui Luſitanus eſſe, & Germanicam ac Hiſpanicam cuſtodiam habere debet. Adveniens ingreditur primum in arcem e regione ſitam, ac poſtea trajecto flumine

ne in arcem Belem, ex quâ in urbem pompâ magnificâ introducitur. Supra urbem in caſtello excubias agunt octoginta homines, qui capitis ſupplicium meriti, hic pro pœna, nullum ſtipendium merent. Quando hi 80. educuntur, totidem iterum ipſis ſuccedunt. Mauri & Æthiopes hic ducentis, trecentis, aut quadringentis ducatis venduntur: quiſque verò Domino ſuo ſingulis diebus duos reales merere cogitur, de reſiduo ipſi vivendum eſt. Solis & feſtis diebus choreas agitare,& ſaltando ſe exhilarare ſolent. Civitas proprium ſuum Archiepiſcopum, propriam Academiam, & propriam Inquiſitionem habet. Templorum pulcherrimum eſt *S. Dominici* ædes in areâ apud Inquiſitionem ſita. Ubique intus deauratione plenâ magnificè ſuperbit. Apud portam ejus index eſt hæreticorum combuſtorum. Ipſo Pentecoſtes feſto die nos Germani viatores choream larvatarum perſonarum in ipſo ſaltantium videbamus. Proximum eſt Miſericordiæ templum lapide quadrato exſtructum, cujus curatores Miſericordiæ Fratres nuncupantur, qui omnem pecuniam, ſæpè quadraginta aut quinquaginta mille ducatorum ſummam facientem, iterum erogant & diſtribuunt, qui ultra

annum ipſis pecuniam conſervare aut cuſtodire non licitum eſt. A fide dignis accepi, ſuperare ſæpius expenſi ſummam quadraginta aut quinquaginta aureorum millia. *L. Nonius in Hiſp. deſcript. cap.* 35. *pag.* 121. Xenodochium omnium Sanctorum, pauperes, ægros, & partus expoſititios recipit. Omnibus in Hiſpaniâ cæteris antecellere fertur. Poſt hæc tria templa viſu digna occurrunt. 4. Palatium extructum à *Petro* Regis Luſitaniæ *Johannis I.* filio, qui fratris filii tutor illud publicis ſumptibus excitandum curavit, ut in eo peregrinorum & exterorum Principum Legati hoſpitio, & alimentis excipiantur. 5. Regis *Johannis III.* granarium, quod frumentum advectum ſine vectigalis ullius ſolutione excipit. 6. Domus vectigalium nova ad mare. 7. Armamentarium primarium. 8. Domus Indica, in quâ merces ex Indiâ Orientali advectæ reponuntur. Piperis commercium ſolus Rex ſibi ſervat, & piper per miniſtros diſtribuendum curat. 9. *La Caſa Alfondiga*, vel *Alhondiga*, vel *caſa de Cincos*, in quâ pro pannis Lisbonam miſſis centum monetæ alicujus nummi, quinque, & pro iis pannis qui ex Luſitaniâ exportantur, viginti, in militum verò, qui navibus

mare

mare tutum præſtant, uſum tres nummos ſolvunt. Duos Præfectos habet cum viginti quatuor ſubpræfectis, quorum dimidia pars Regis altera mercatorum negotia procurat. 10. Caſa de los Eſclavos, ubi quatuor de viginti pro mancipiis ex Æthiopiâ venientibus ſolvuntur. 11. Caſa de la carne, boum, ovium & vervecum vectigalibus ſolvendis deſtinatæ ædes. 12. Caſa de la impoſition de Vinos, de quo vectigali notandum, quod Regi à populo conceſſum ſit duodecim vini menſuras pro quatuordecim ſupputare, & ipſi duas dare quas illi ſolvunt, qui vinum menſuris vendunt. E contrario. Regi non eſt licitum civem aliquem onerare, ut quamcumque etiam perſonam hoſpitio accipiat. 13. Caſa de Madera, lignorum domus, ubi tributum ex ubere, nucibus, caſtaneis & aliis fructibus durioribus colligitur. Porrò diverſa ſunt Archiva, in quibus de omnigenis ſententiis & officiis decimæ pendendæ. Burſa, in quâ mercatores conveniunt, non eſt domus certa, ſed tantum platea longa, in quâ bibliopœgi habitant; la calle nueva ipſi nomen eſt. Jeſuitæ, qui in hâc urbe magni fiunt, & apoſtoli nominantur, tunc temporis trium Collegiorum ſtructuram inchoabant.

Proregis habitaculum ſpatioſum novo tabulato auctum eſt ab *Alberto Auſtriæ Archiduce*; & in areâ Regiâ, la plaza real nominata ſitum habet. In eo oſtenditur conclave, in quo *Dux Albanus* anno 1582. prid. Id. Decemb. cum 74. ætatis annum ageret, fato functus eſt, ut *Meteranus lib.* 4. memoriæ prodit. Moriturus à Rege *Philippo II.* petiit, ut ſemel adhuc ſe inviſere dignaretur, qui petitioni ejus ſatisfaciens prope januam ſtetiſſe, & eum interrogaſſe fertur, quidnam cuperet, ac ipſi roganti, num omnia, quæ bello durante feciſſet, Rex in ſe recipere vellet, reſpondiſſe; Ea, quæ tibi mandavi, in me recipio: de cæteris tibi ipſi ratio reddenda erit. In prædictâ arce ſupra urbem parvo oppidulo ferè ſimili, in quâ ſexdecim tormenta bellica majora ad urbem converſa ſunt, Luſitaniæ Reges nimio calore inferius preſſi commorabantur. Portus ſive navium ſtatio quinque milliarium extenſione in Oceanum procurrit. Arcem in flumine ſitam nulli navi prætetire integrum eſt, niſi ſchedam facultatis à Protege conceſſæ teſtimonium prius exhibeat. Portus quovis tempore navibus repletus eſt. XVII. Kal. Junii navigium ingreſſi nos Germani ſecundo flumine deſcendebamus, ac

in monaſterium Belem nos conferebamus. In viâ cernebamus locum ædificii nudatum, in quo antè decennium terræ motus omnes ædes in terræ ſinum recondidit. Gradus item muro obſtructos, per quos ultima vice Rex *Sebaſtianus* deſcendit, cum Africam petiturus in navem ſe reciperet. In vicinia Regius eſt hortus, & tria trium comitum habitacula. Dictum Cœnobium Belem, vel Bethlehem ad Tajum vel Tagum flumen, ubi naves ſtationem capere ſolent, magnificâ ſtructurâ ſe effert, & monachis Hieronymianis octo mille Ducatorum reditus annuos tantum habentibus habitationem præbet, & Regum exuvias mortales ſepulchris ſuis recondit. Alios enim præter Reges, & Regiâ ſtirpe prognatas perſonas, hic ſepelire non licet. In templo ſepultus eſt Luſitaniæ Rex ultimus *Henr.* cum nonnullis Principibus. Adeſt & Regis *Sebaſtiani* imago, quia corpus ejus non adeſt. In Choro apud altare primarium ex marmore ſolido factum ſunt, nonnullorum Regum Epitaphia, & inter ea ſequens Regis *Emanuelis*:

Littore ab occiduo qui ad primi lumina ſolis.
Extendit cultum notitiamque Dei,
Tot Reges domiti cui ſubmisêre tiaras,

Conditus hoc tumulo maximus Emmanuel.

Et alterum Regis *Johannis III.*

Pace domi belloque foris, moderamine miro
Auxit Johannes Tertius imperium:
Divina excoluit, Regno importavit Athenas,
Hic tandem ſitus eſt Rex patriæque Parens.

Appenſæ ſunt duæ lampades argenteæ miro artificio in globum formatæ Periſtylium ſeu ambitus monaſterii duplex eſt. Superius deambulationi deſtinata porticus ex lapidibus lapicidarum artificio pulchrè acciſis conſtans, & marmoreis columnis incumbens. Dormitorium, ſeu locus, ubi monachi quietem capiunt trecentorum paſſuum longitudine extenditur. In hortum pulcher ipſis proſpectus patet cedros, malos aureas & citreos, ac arbuſculam illam, quæ Vitex, ſeu Agnus caſtus nuncupatur, & libidini reſiſtere fertur, oculis eorum objicient. Sunt ibi quoque pulchri fontes, & octo cellulæ. A portu autem, ubi hoc cœnobium ſitum eſt, 239. tormenta bellica tàm grandia quam parva ordine diſpoſita ſunt. Diſtantiæ autem inter urbem & cœnobium duo & dimidium milliaria at-

attribuuntur, ac totidem illi ſpatio, quod inter hoc & Caſcaim vel Caſclem intereſt ubi onerariæ naves ad urbem propius accedere nimiâ magnitudine prohibitæ ſtationem ſuam habent. Hactenus *Author noſter*, qui etiam Urbis Gubernationem & Magiſtratus deſcribit, cujus cum *Johannes de Laet in Hiſpan. deſcriptione cap. 5. circa finem pag 137. ſeqq.* prolixam mentionem facit, ejus narratione hic ſuperſedemus. Via quâ noſtri Mantua Carpetanorum Lisbona iter fecerunt, 108 milliarium longitudinem habere fertur. Gallica potius quam Hiſpanica milliaria eſſe autumo. Cum Duce ſuo in hâc Urbe iterum pacti, ut Hiſpalim ab ipſo deducerentur.

XVII. Kal. Maji hora 3. pomeridiana naviculæ à quatuor remigibus protractæ ſe credentes Oliſipona diſceſſerunt, ſed aqua naviculam nimis parvam infeſtante in littus ſe recipere & pedibus trium milliarium iter conficere coacti venerunt in pagum.

Aldeam Gallegam nuncupatum.

XVI. Kal. Junii ipſum relinquentes viâ incedebant peſſimâ maximè arenosâ, & multis qui nimia ſiti in eâ perierunt infami, hâc quinque milliarium peracta, ipſo meridie, quo calor erat intenſiſſimus

divertebant in vile municipium.

Las ventas de Agun de Morra. Ad dextram in oculis erat ipſis Setubal Luſitaniæ civitas ſatis nota, & portu ac mari piſcoſo celebris, ut *Nonius* 34. *cap.* tradit. Ex ſalis fodinis hic maxima ſalis albiſſimi copia eruitur. Campeſtre ſolum frumenti & vini feraciſſimum eſt. Pomeridianum iter dabat duo milliaria, viamque ſimilem, ac Ventam ſeu diverſorium, & poſt duorum millarium viam meliorem iterum aliam Ventam, in quâ pavimento incumbentibus quies capiendi erat.

xv. Kal. Jun. ſterili ſolo, & moleſtiâ ac tediosâ viâ peragratâ, cum quinque milliaria abſolviſſent, in Ventâ quâdam manſerunt, & à meridie per trium milliarium campum nonnihil cultum profecti pernoctarunt in Municipio.

Cubas, in quo nihilominus ipſis in terrâ cubendum erat.

xiv. Kal. Jun. ſolum ſuccedebat tolerabile: In dextro latera ſe oſtendebat Beia, olim Pax Julia, cum thermis ſalubribus ad Luſitaniam pertinens civitas, quæ excelſiori loco impoſita eſt. Quatuor milliarium itinere ducti ad Guadianam fluvium, eo trajecto, milliare unum lapidoſis collibus repletum pergebant, & ita

ita quinque magna milliaria emenſi adventabant.

Serpam, quæ civitas adhuc in Luſitaniâ editiorem locum occupans ſitu ſatis amœno, ab olivarum & ficuum multitudine decoratur. Noſtri peregrinatores, ut in urbe Badajoz, ità & hic iterum omnes ſuas reculas perveſtigationi ſubmittere coacti ſunt, octo reales inquirentibus, & duos cuſtodiæ donantes. Jam enim Andaluſiam ex Luſitaniâ ingredi debebant. A meridie montibus Sierra Morena, & viis anguſtis ac malis per ſex milliaria magna ſuperandis tempus uſque ad mediam noctem, & horam duodecimam terentes tandem moleſtiarum finem invenerunt in pago.

Balmego. Author noſter refert, quod de montanis illis locis ſcribatur, quodam tempore, cum quatuordecim annorum ſpacio nulla ex cœlo pluvia decidiſſet, ſylvam tandem accenſam conflagraſſe, ac aurum & argentum ex terrâ effluxiſſe. Homines verò nullam ex fontibus aquam nanciſci potuiſſe, quia terra calore nimio dehiſcebat, & hiatibus repleta erat. Quin noſtros peregrinatores etiam ex arboribus combuſtos & terræ hiatibus, ut incolæ referebant, eorum quæ dicta ſunt, quod aliquid ejuſmodi ibi acciderit,

veritatem collegiſſe. *L. Marineus Siculus lib.* 1. *fol.* 6. *edit. Complutenſis anno* 1533. Serra Morena, & Marianos montes ex *Plinio* nominat: Apud dictum pagum Montes illi ſenſim delapſi Noſtros demiſerunt in Andaluſiam, novâ inquiſitione reculas perveſtigantes cuſtodes 6. realibus donantes.

22. *Andaluzia* nonnullis Vandalia, aliis Vandalicia à Vandalis, qui à Gothis exacti hæc in loca, & poſtmodum plane in Africam ſe receperunt. *Roder. Sanctius part.* 1. *Hiſpan. cap.* 7. *Ant. Nebriſs. in Decad. prolegomenis*; *Joh. Vaſæus Hiſp. Chronic. cap.* 8. *in princip*: Orientalem Granada, Septentrionalem Caſtilia Nova, Occiduam Beiæ & Selves urbium diſtrictus, atque ità Luſitania cum Guadiana fluvio, ac tandem Meridionalem Oceanus Atlanticus terminat. Hæc Regio granarium, cella promptuaria, & ſtabulum Hiſpaniæ vulgò audit. Omnis enim generis fructibus jucundiſſimis, oleo copioſiſſimo, omnigenis avibus, & optimis equis admodum dives eſt: adeò ut Rex equile ſuum ſtabulum primarium Cordubæ habent. Metalli fodinis etiam opulenta auro & argento incolas ditat, argenti vivi cumprimis ſpecie quâdam aurum purgante, & ab aliis metallis ſeparante. Mul-

tum

tum veneni tamen illud admixtum habet, adeò ut qui auro illius ope purgando operam dant, mortuis quam vivis ſimiliores ſint. Plærumque auri fabri ſeparatione illâ occupati fruſtum auri ore tenent, quod exemptum argento vivo penitus obductum eſt. Scopuli, ex quibus eruitur, minii copioſè excreſcentis causâ ut plurimum rubent. *Merula part.* 1. *lib:* 2. *cap.* 24. in extollenda hâc regione laudum ſuarum nimis prodigus eſt. Maris Mediterranei quaſi portæ ſeu oſtio, quod fretum eſt Gaditanum, adjacens ſuis finibus includit, ad urbem Gibraltar, inſulam Gades, item Puerto Real & S. Mariam; ut & urbes Sevillam, Cordubam, S. Lucar de Barrameda, Baeçam, Jaen, Alcala real, Palatios, ſive Palatiam, Carmonam, Narchenam, Eceiam, Mondam, Lebrixam, vel Lebrizam, Oſſunam, Xerez, & plures alias, de quibus *Geographi*, & præter *Hiſpanicos Scriptores, ac Ambroſium de Salazar pag.* 52. *libri ſæpius citati, Merula* cumprimus, legendi. Jaen opulentæ & amplæ civitati templa ac monaſteria inſigne ornamentum conciliant. Vino, oleo, frumento, ferinâ, melle, omnis generis fructibus, ſerico, fontibus amœnis, ac nobilitate celebri affluit, & ſatis etiam munita eſt. In Andaluſiæ

luſiæ Epiſcopatu eſt Baeça, vel Baeſa, quam veterum Vanen eſſe exiſtimant. Collegium à *Joanne Avila* in eâdem inſtitutum Academia Baeſana poſtmodum nuncupatum eſt. Non deſiderat ſingularem amœnitatem Lebrixa civitas, pervetuſta arce inſignis, & fertili ſolo felix, quæ Nebriſſam nomen olim habuit. Oſſuna aquis caret, & præter olivas, arbores cæteras neſcit. Rei pecorariæ, & frumenti tamen penuria nulla laborans quatuor aut quinque focorum millia mœnibus ambit, ac in juventutis commodum Academiam à *Comite de Urena* fundatam, de quâ *Matamorus de literatis Hiſpan. viris in præfat.* habet, temploque eleganti & inſigni eminet. Vide *C. Ens in delic. Apod. per Hiſpaniam.* & de hujus loci Ducibus *Hieronymum Gudielum.*

Sed ad Noſtrorum iter revertamur, illud ex Balmego pago XIII. Kal. Jun. per tria milliaria promovebatur in municipium.

Alqueriam novâ viſitatione, & ſex realium ſolutione novis hoſpitibus negotium faceſſens. A Meridie poſt duo milliaria pagus exilis ſequebatur, in quo Noſtri peregrinatores de novo cum Duce ſuo pacti à viâ Sevillam ſeu Hiſpalim ten-

den-

dente declinabant, & eam ingrediebantur, quæ ad urbem S. Lucar de Barrameda ducebat. Noctem igitur ferè totam itineri montes Sierra morena tranſeunti impendentes, quatuor milliaribus à tergo relictis quieti ſe dabant in oppidulo.

Gibraleon in loco eminentiore ſitum & ſub ſe alveum aquam ingredientem ex mari recipientem habente ubi cuſtodibus iterum 4. reales ſolvendi erant.

XII. Kal. Junii tria ſequentia milliaria erant arenæ & fruticum plena.

Triguexas uſque municipium pulchrum, & grande oppidum æmulans, ac cœnobio elegante, quod lapideo tecto tegitur, ſuperbum. Tractum circumjacentem frumenti copia, & vinearum multitudo amœnum reddunt. Hinc milliare unum pergit ſoli fruticoſi ſterilitas, ubi multi ſerpentes & alia ejuſmodi inſecta ſe conſpicienda exhibebant. Huic alterum milliare ſuccedens, & cum prioribus quatuor, quinque conficiens ipſos reddidit.

Nieblæ Urbi pervetuſtæ in Andaluſiâ mœnibus ſeptæ, & ad *Ducem de Medina Sidonia* pertinenti, extra quam arcis cujuſdam collapſæ rudera. Hinc prandio ſumpto per ſolum nonnihil cultum uſque

ad

ad pagum quendam, ac inde per erycetum, ac fruticetum. Almontem oppidulum uſque excurrens, quod ſylvam olivis conſitam ante ſe habebat, iter ipſis fuit. Arborem videbant olivas & ficus ferentem.

XI. Kal. Junii ſummo manè iter capeſſentes tonitrua, fulgura, & tempeſtatem vehementem habuerunt; viâ erat arenoſa. Occurrebat *Ducis de Medina Sidonia* aliquot milliaribus feras includens vivarium, *El Boſco del Duque* appellatum, ac poſtea circà meridiem diverſorium ſolitarium, ex ſtramine conſtructum, & ſex milliaribus à præcedente oppidulo remotum, Vicina eſt arx Ducis pulchra.

Pomeridiano itinere hinc per colles arenoſos, & fluminis Quadalquivir littora ducti poſt 4. milliaria pervenerunt ad fluminis dicti trajectum, ducis nominati proprium, cui portitores pontonibus homines ac beſtias trajicientes quotannis trecentos Ducatos pendunt. Noſtri pro quâvis perſonâ & quovis aſino quinque realibus ſolutis, porrò proficiſcebantur ad urbem.

23. *S. Lucar* de *Barrameda*, quam *Mariana lib. 2. de reb. Hiſp. cap. 1.* Luciferi templum, & *Merula* Luciferi fanum

num appellant. Sita eſt ad mare ubi flumen Guadalquivir, id eſt, Manum flumen, vel veterum Bœtis aquas ſuas in mare exonerat. Clavis eſt aditum Sevillam cuſtodiens, ut, qui hanc urbem, cum portu ſuo poſſidet, omnes naves prohibere poſſit, quominus Hiſpalim pervenire queant. Portus elegans & amœnus plurimas naves tunc temporis continebat, & inter alias Hollandicam unam viginti ſex tormentis bellicis armatam. Scopulus unus la barra de S. Lucar hunc portum incommodiorem reddit, & nonnunquam multum damni infert. In littore urbem verſus propugnaculum ex lapidibus conſtructum quinque tormentis majoribus portui præſidio eſt, qui aliud non habet. Spectabilis eſt mercatorum Domus vicinia. Ipſa civitas colli accumbit, & ſatis pulchras & latas plateas habet. In Baſilicâ hæretici combuſti depicti ſunt. Aliud admodum elegans templum eſt Nueſtra Sennora de la Caridad, in quo Canonici vivant, & multa miracula facta ſunt, in periſtylio ſacro cuncta depicta. In ipſo templo ſunt 17. lampades, cum nave argentea: In area vero vicina templo dulcis aquæ fons cernitur. Noſtris pro uno lecto duo reales ſolvendi erant.

x. Kal.

x, Kal. Junii trium milliarium via fertile & cultum ſolum tranſiens eos reddebat urbi.

24. *Puerto de S. Maria*, non quidem magnæ ſed tamen ſic ſatis eleganti ad fluvii Guadalete vel Lethæ hic in mare exeuntis oſtium. Albi & pulchri Salis copia magna hic paratur, & in alia regna tranſmittitur. *Johannes de Laet pag.* 14. Urbi Cadiz, vel Caliz oppoſitæ adeo propinqua eſt, ut qui ejus videndæ cauſa tranſire non velit, hic eam ſatis conſpicere poſſit. *Pleræque* Regis Hiſpaniæ triremes hic ſtationem ſuam habent, quarum tunc temporis Præfectus ſummus erat *Philebertus Sabaudiæ Ducis* filius, quod munus nonniſi admodum fidelibus perſonis committitur. Dictus princeps hic commorabatur in palatio non quidem magno, ſed eleganti, & pulchro, cui hortus etiam quidem haud magnus, ſed inſigni pulchritudine ornatus, & antro artificioſo, grottam appellant, cum aviario & fonte decoratus haud exiguam gratiam conciliabat. Aderant ibi duo leones, & aliquot hyſtrices. Princeps inter corporis ſui cuſtodes centum & quinquaginta ſex, Germanos habebat quinquaginta cineritii coloris pannis omnes veſtiti. Tunc temporis undecim regiæ triremes



BIBLIOTECA NAZIONALE "VITTORIO EMANUELE III"
NAPOLI

mes in portu erant, quarum præcipuam Noſtri viatores ingrediebantur, la Reale appellata, & admodum longè extenſa tranſtris 32. mancipia excipiebat 300. partim Chriſtianos, partim Turcas, & Ethnicos, omnes tunicis rubris veſtitos, plurimoſque ferreis catenis affixos, & litera R. in faciem inuſtos. Cujus vis tranſtrorum utrique lateri aſſidebant duodecim mancipia, fere omnia aliquid peculiare facere docta, ac inprimis loculos nectentia: Unum tantum tormentum bellicum in eo erat. Dicti Principis mortui camera tabulato deaurato, & vitris ex cryſtallo ornabatur, cubiculum verò dealbatum, & lecti velamenta rubra, cum oratorio peculiari. His undecim navibus adjuncta erat Navis erepta cuidam piratæ Gallo cum 32. tormentis majoribus, quorum pars Galliæ Reginæ tranſmiſſa, pars verò adhuc in littore jacebat, quodvis litera H. notatum. Navis Præfecti piratæ in littore capite plexi, Baſilica Sacra ſpectabile eſt ædificium depictis hæreticis exuſtis ſuperbiens.

25. De Urbe & Inſulâ Cadix, vel Calis, quæ veterum ſunt Gades, conſulatur *L. Nonius cap.* 9. & *P. Bertius in tabulis Geographicis, pag.* 88. *ſeqq.* ubi accurate deſcribuntur. Apud *Bertium* certe cum

Sinu

Sinu Gaditano, *Bajaz de Cadiz* & circumjacentibus locis eleganti delineatione Geographicâ oculis ſubjiciuntur. Vide etiam *Caſp. Ens pag.* 75. *Cæſar Carolus V.* Filio ſuo *Regi Philippo II.* Hiſpanici Imperii claves tres, Gulettam in Africâ, Vliſſingam in Zeelandiâ, & Gades hâc, ut maximâ cuſtodiâ & curâ conſervare ſtuderet, in mandatis dederat: *Guil. Camdenus part.* 4. *annal. Angl. pag.* 728. Sed filius Imperii Hiſpanici clavum tenens mandatis Paternis parere vel neglexit, vel non potuit. Gulettam Turcæ occuparunt: Vliſſinga jugo Hiſpanico excuſſo cum liberis Belgii populis cæteris libera eſt: Angli Gades quidem occuparunt, ad conſuetum Dominum tamen poſtea redeuntes. Ex S. Mariæ portâ ad Urbem Cadiz per aquam profecturis 2. milliaria conficienda ſunt.

IX. Kal. Jun. Noſtris viatoribus, ne aqua toties tranſeunda eſſet, ambagibus aliquot uſis ſemel tamen illa trajicienda fuit mercede ſex realium ſoluta. Una ab urbe milliari in ruderibus jacens arx carcer fuit Reginæ Blancæ à Rege Caſtellæ *Petro* captivæ datæ, de cujus morte innocenti præter alios etiam inſpiciatur *Mariana lib.* 16. *cap.* 17. 19. 20. & *lib.* 17. *cap.* 4. Trans flumen deſertum rurſus in-

inchoans nilniſi incultam terram uſque ad quartam milliaris partem ab urbe Medinâ Sidoniâ producit. Circa hanc autem campi hordeo conſiti, vineæ, horti, ficus, mali aureæ, & aliæ arbores faciem deſertæ terræ aſpectum mutant.

Medinam Sidoniam ipſo meridie venientes 7. milliaria confecerunt. In viâ præter Ventam, ſeu ſolitarium diverſorium nihil ſe offerebat. Hæc Methimna Sidonia, *Cluſio* ſi fides habenda, Aſindum appellatum fuit. Antiquitatem ædificia antiqua, & facies antiqua loquuntur. Præter antiquam arcem nihil habet, quod oſtendat.

Pomeridianâ viâ tribus milliaribus malis & incommodis conficiebatur, quod diverſis incommoditatibus vexati etiam ob Maurorum ſolitas invaſiones & prædationes haud in exiguo periculo verſarentur. Noctis quies, & quidem in pavimento, obnixe petentibus in Venta quâdam ægrè permittebatur.

VIII. Kal. Junii per montes & valles rem pecorariam ſic ſatis largam oſtendentes profectio tendens nonnullis vallibus amœnis Viatores noſtros recreavit, & circa meridiem in Venta malpico quieſcere juſſit. Quinque erat milliarium, & ſequens pomeridiana trium, in quâ aliquot

ſclo-

ſclopetorum ictus audiverunt. Tempeſtivè ad mare venientes, & in ejus littore pergentes pernoctaverunt in Urbe.

25. *Gibraltar.* Fretum inter Hiſpaniam, & Mauritaniam Africæ regionem intercedens à dictâ inſulâ Gadibus Gaditanum Fretum, ab *Hercule* Herculeum, ab hâc urbe verò Eſtrecho (vel Eſtretſcho) de Gibraltar cognominatur. Mauri & Arabes adjacentem montem Gæbal Tareff, id eſt, montem Tariff denominarunt, ab uno præfectorum, qui Mauros ex Africâ in Hiſpaniam traducens primus apud Montem Calpen in terram deſcendit, à quo *Tariff* appellato huic loco nomen Gebel Tariff, poſteà in Gibraltar mutatum, natum eſt. *Joh. Mariana de reb. Hiſp. lib. 6. cap.* 22. *Nonius cap.* 10. *& P. Bertius d. lib. pag.* 91. *Paul. Merula lib.* 2. *cap.* 4 *pag.* 216. hunc locum Gebal Tarick nominat. Vetus nomen eſt Heraclea. Montes Calpe hic apud urbem Gibraltar, & Abyla in Africâ, ad quem Centa urbs hodie è regione prioris urbis ſita, pro columnis *Herculis* olim habiti ſunt, licet alii putent, æreas ejuſmodi columnas in ejus templo in urbe Gadibus fuiſſe, ſicut & adhuc earum veſtigia reperiri in eâdem inſulâ perhi-

hibentur. Veteres, ut *Silius Italicus*, *Solinus*, & alii hunc locum Mundi extremum & ultimum finem eſſe exiſtimarunt: Belgarum verò nautæ adhuc hodierno die promontorium verſus occaſum, Hiſpanis Punta de San Sebaſtiano dictum, **Het eynde des Werelts** appellare ſolent. Olim certè naves ulterius non progreſſas ipſos quæ nautas naves in inſulam Gades appellentes *Herculi* ſacrificaſſe conſtat. *Nonius de Hiſp. cap.* 9. *&* 10. *Maginus in Geogr. pag.* 52. *Bertius, & Johannes de Laet in deſcriptione Hiſp. pag.* 23. *D. T. U. T. in commentario des Eſtats &c. du monde pag.* 137. *& Plures alii.* Freti latitudinem *Maginus* 7. milliaribus definit, quod dictus *Gallus* affirmat. Alii latitudinem duodecim milliaribus Italicis, ac Longitudinem viginti quinque metiuntur. *Sebaſt. Munſteri Coſmogr. lib.* 2. *cap.* 39. *fol.* 113. *edit. ult. de anno* 1628. latitudini milliare Germanicum unum & dimidium attribuit. *Noſter Author* autem latitudine huic tria milliaria Germanica adſcribit. Gibraltar Europæ ultima & extrema civitas, & Hiſpaniæ quaſi clavis in mari, ferè inſtar inſulae, ſcopulo accumbit, & à Caſtello ſuperiori loco inſidenti, ac præſidio 150. militum tuto defenditur. Inferius in mari u-

ri utrumque urbis finem tàm ſuperiorem, quàm inferiorem poſſident duo propugnacula aut potius turres, novem tormentis bellicis munitæ, adeo ut mirum ſit, quo pacto *Jacobus Hemskerkius* anno 1607. Hiſpanicam claſſem ſub arce in his anguſtiis aggredi auſus fuerit. Pons hic trecentorum pedum Longitudine mari ſe inſinuans ab Italo quodam extructus eſt. Portum nonnihil periculoſum reddunt ſcopuli aquâ maris occulti. In littore paſſim frequentes ſpeculæ ſclopetorum ſono & ignibus ſignâ dante ſi quos Mauros, aut Turcas in mari animadvertunt. Ex una illarum viginti milliarium proſpectus in mare patet. Liber quidam Baro magni nominis, qui magni momenti muneribus præeſt, mihi ſignificavit, cum iter ipſum cum comitibus præcipuæ dignitatis, (octo autem numero erant) hunc in locum deduxiſſet, Præfecti urbis uxorem ad eos miſiſſe, & petiiſſe, quoniam Nobile aliquod ſodalitium Germanicum adventaſſe intellexiſſet, ut eos ſibi videre liceret, quando menſæ aſſiderent. Quo impetrato adveniſſe fœminam magno comitatu, & contemplationi indulgentem ſatis diu ad januam, ſtantem commoratam eſſe. Poſtquam autem inde diſceſſiſſet, mox per famu-

lam

jam remiſſam nunciandum curaſſe, Dominum illum qui è regione ipſius menſæ accubuiſſet, & quem illa immoto fere intuitu adſpexiſſet, morbo procul dubio ingenti oppreſſum iri, niſi corpore ſuo fumum exciperet pulveris, quem ex rore marino paratum ipſa miſerat. Cæteris hanc rem ridentibus Dominum tamen illum gravi morbo mox correptum fuiſſe, & cæteros juſſiſſe, ut famula ipſa dictum Dominum infumaret. Quo facto illum mox incepiſſe ſe melius habere, & cum cæteris ſequenti die illæsâ valetudine in itinere cœpto perrexiſſe. Antequam hæc hiſtoria innotuit, cum dicto Domino in hoſpitio cerviaurei notato inſigni urbis Grætz in Styriâ anno 1622. bis comedi, ac poſtea anno 1629. cum filio ejus ſeniore in urbe Paduâ haud exiguam amicitiam contraxi. Dominum autem dictum, qui jam in vivis eſſe deſiti, fœminæ, quam diximus, adeo placuiſſe mirum non eſt, cum pulchritudine adeo excelluerit, ut in paucos pares habuerit. Tam ſubiti vero & periculoſi morbi ex ſolo intuitu nati cauſam & rationem dabunt Medici & Phyſici. Videatur *Fracaſtorius de ſymp. cap.* 24. *Langius lib.* 2. *ep.* 36. *Tandlerus de faſcino & incantat. qu.* 46. *pag.* 86. Hujus hiſtoriæ tantum memi-

miniſſe volui, quia in hâc urbe Gibraltar accidit.

vii. Kal. Junii nave ſclopetis armatâ Germani noſtri fretum tranſeuntes, & ſeptem milliaria navigando conficientes pervenerunt Centam, vel Septam, ut alii nominant. Urbs munitiſſima Africæ littori extremo inſidens, quam Rex Luſitaniæ *Johannes I.* anno 1415. Mauris eripuit, hactenus Hiſpaniæ Regi, Luſitaniæ regnum tenenti paret. A præſidio Luſitano, Gubernatori, quem Equites auratos creandi facultatem habere ajunt, obediente defenditur. Ad Abylum montem ſedet. Poſſidet hic etiam Rex urbem Mazagaon, vel Mazaganum ad mare Atlanticum, in quâ Luſitani habitant. Tanger item; Tingis olim appellatam urbem, Luſitanis quoque incolis repletam. De cæteris Locis legatur *Johannes de Laet cap.* 7. Luſitanorum quoque juris eſſe portum Marzalcabir in Mediterranei maris littore, ut & d'Oran, Melillam, & del Pegnon, ſcribit *Boterus part.* 2. *delle relat. univerſal. lib.* 4. *pag.* 277.

vi. Kal. Jun. maturè navi eâdem in urbem Gibraltar revertebantur, inde per priſtinam viam & tria milliaria redeuntes ad Ventam mal Pico. Cum aſinis ſuis in

viâ

viâ pontonem ingreſſi flumen tranſmittebant, & 4. reales ſolvebant. A meridie poſt duo & dimidium milliare ad dextram ſe flectentes, ac montes & valles peragrantes nonniſi domum ſolitariam in viâ cernebant, & ſex milliarium itinere confecto veniebant in urbem

Alcala. Vetuſta eſt, & monti frumentum ferente tractu cincto inſidet.

27. v. Kal. Junii octo milliarium viâ pererratâ ipſos excepit oppidum *Arcos*, Ad ſiniſtram reliquerant urbem Xeres vel Xerez de la Frontera, olim Aſſam Regiam appellatam. *Nonius cap.* 13. Apud hanc *Rodericus* Gothorum Rex ultimus ab Arabibus vel Mauris cæſus Hiſpaniam amiſſam Saracenorum poteſtati reliquit. Muris probè circumdata ſolo impoſita eſt vino & frumento luxurianti, adeo ut omnia hic culta ſint. *C. Ens in deliciis apodemicis pag.* 73. *Nonius & de Laet* tradunt, apud hujus urbis incolas in more poſitum eſſe, ut divites in puteis admodum profundis fructus lapidibus tectos, qui ſine Senatus urbani permiſſione removeri non poſſunt, per multos annos conſervent. Ab urbibus Puerto S. Maria, & Lebrixa vel Lebriſſa 5. ferè milliaribus diſtat. Prope hanc urbem via eſt periculoſa, & mala, apud quam pul-

cherrimum olivetum, & hortus plurimis arboribus mala aurea ferentibus conſitus incipit. Ipſam urbem Arcos editior collis ſuſtinet, ideo invictam habitam, quia ad eam unicus tantum aditus Hiſpalim verſus patet. Ducem ſuum habet, hic Corregidorem, ut vocant, alentem, qui in arce habitans urbi præeſt. Omnes ferè circumjacentes urbes huic in conſpectu ſunt. In ejus templo ſic ſatis eleganter ſtructo hæretici igne exuſti depicti cernuntur. Hinc per ſolum frumenti ferax 2. milliaria profecti ſunt.

Speram. Antiquam urbem collapſa arce eſſe *Author Noſter* tradit. Hunc tamen locum apud alios non invenio, nec ejuſdem *Salazarius in indice locorum Andaluziæ pag.* 52. meminit. Erratum deſcribendo forte commiſſum, & pro Spera Cabera ponenda, quæ in hoc tractu ſita eſt.

IV. Kal. Junii ſex milliarium via optima ipſos tulit per optimè cultum diſtrictum uſque ad hoſpitium ſolitarium. Videbant ſepem totam ex ficus Indicas ferentibus arboribus connexam, & pagum Alcantarillam, ubi pons antiquus Romanus planè clauſus cernitur, tranſilant. Videatur *P. Merula cap.* 24. *pag.* 278. qui in laudando hoc ponte, ut *Author Noſter*

ſter cenſet, nimius eſt. Templo Ethnico pervetuſto hic jam Chriſtiani utuntur. Ad ſiniſtram relinquebant pagum aut municipium Jos Palacios, vel Patium, aut Palantiam; Viam hic admodum periculoſam hyberno tempore aqua, æſtivo pulvis reddit; de cujus periculo, & quod viatores plures hic pulvere & ſiti pereant, *Merula* ibidem mentionem facit.

A dicto Hoſpitio arenis plena viâ eos deferebat quatuor inde milliaribus diſtantem.

28. *Sevillam.* Poſtquam in itinere tria milliaria confeciſſent, ad initium pervenerunt Oliveti multa paſſuum millia complectentis. Diſtrictus porro huic incredibilis fructuum abundantia ineffabilem pulchritudinem & amœnitatem conciliat. Sevilla Hiſpanis, & Latinis Hiſpalis dicta Urbs, Andaluziæ caput, amœno ad Quadalquivir flumen ſitu poſita, amœnum, amplum, pulchrè extructum, & totius Hiſpaniæ præcipuum eſt emporium, quo omnes ex Indiâ Occidentali naves Auguſto & Septembri menſibus appelluntur, & unde omnes inſtructæ Aprili menſe in Indiam eandem remittuntur. Celebritatem hujus Urbis teſtatur proverbium Hiſpanicum; *Qui no ha*

 viſto

viſto Sevilla, no ha viſto maravilla: id eſt, Qui non vidit urbem Sevillam, non vidit mirabilia. Perantiqua eſt civitas, cujus portæ de la Carne appellatæ inſcripti ſunt hi verſus.

Condidit Alcides, renovavit Julius Urbem.
Reſtituit Chriſto Fernandus Tertius, hæres.

Franciſc. Sweertius in ſel. Chriſt. orbis delic.p. 317. In planitie ſita duodecim portas, ac ſuburbium habet amplum & amœnum, quod Triana nominatum per pontem euntes in urbem dimittit. Solum urbem circumiens fertiliſſimum, ut diximus, frumenti, vini, & olivarum magnarum æquè ac ſuavium incredibilem copiam ſuppeditat. Commercia frequentiſſima incolas maximis divitiis cumulant, ideo Regi quotannis unum auri millionem & dimidium, ſeu quindecim auri tonnas pendentes, ut *Merula* & *Nonius* tradunt, ac in præcedenti capite dictum eſt. Accipenſeres, & alii piſces ex mari ad verſum flumen, cui ab urbe uſque in mare ſexaginta mille paſſuum curſus conficiendus, tranantes plurimi apud urbem capiuntur, ut *Bertius pag.* 86. *ſeq.* ſcribit; ibidem dicens; ſuperioribus annis viginti quatuor civium familias ſuas alen-

alentium millia in hâc civitate, & in ſuburbio Triana tria millia habitaſſe. Vide quoque *Marianam lib.* 13. *cap.* 7. *pag.* 550. *b.* & *Gaſp. Ens in delic. apod. pag.* 84. *ſeqq.* apud quos, & *P. Merulam*, ut & *Nonium cap.* 15. ac in *G. Braunii lib. urbium* prolixam hujus urbis deſcriptionem reperire eſt. Hiſque quæ *Author Noſter* habet, addam. Hiſpali Baſilica ſacra *D. Virginis* pulcherrimarum in toto orbe una, turri excelsâ, in quâ equitare licet, ſuperbit. Faſtigio inſcripta ſunt verba: Nomen Domini firma turris eſt. Prov. 8. Summitati ejus inſidet imago fortunam manu tenens, & venti mutationes indicans. Feſto *Divi Petri* die in turri hâc ignes excitant. Proximè ſummum altare in templo ubique deaurato ſunt duæ columnæ ex jaſpide, & in ſacello ſepulchrum eſt *Regis Ferdinandi*, qui ſexdecim menſium obſidione hanc Urbem ex Maurorum poteſtate anno 1248. eripuit, & anno 1252. fatis conceſſit. *Mariana lib.* 13. *cap.* 7. & 8. ubi hæc Urbs deſcribitur. Feretro ejus rubro holoſerico tecto tres coronæ impoſitæ ſunt. In templi adyto liborium ſeu hierotheca argentea adeo gravis eſt, ut ad eam portandam octo viri requirantur. Viſu digna quoque hic ſunt candelabrum æreum &

fons aquam ſalientem emittens. Porticus ſacra hæreticorum exuſtorum imagines depictas oſtendit. Area hortus eſt mala aurea ferentium arborum plenus. Archiepiſcopus quadraginta ſub ſe habet Canonicos Cathedrales, & unius tonnæ auri reditu annuo fruitur. Ad templi ſtructuram autem quotannis triginta mille floreni deſtinati ſunt, ut *Nonius* refert. Haud longè à templo Regium Palatium cernitur, opus Maurorum Regum pulcherrimè conſtructum. Ubique ferè Imperialis aquila cum *Caroli V.* ſymbolo *Plus Ultra* conſpicitur. Conclavia ex marmore pretioſo lacunaribus ſeu tabulatis deauratis teguntur. Sacellum tanto artificio deauratum, ut vix ſimile inveniri queat, omnium Regum Hiſpanorum uſque ad hunc præſentem ſtatuas exhibet: Horti pulcherrimi omnis generis fructus ſuppeditant, & antris tribus, quæ grottas vocant, ac hydraulicis operibus exornati ſunt. Piſcina varios piſces ſubminiſtrat. Una ex cameris oſtenditur in quâ *Rex Petrus* duos ſuos fratres interficiendos curavit. Inter Monaſteria pulchritudine eminet illud, quod à Franciſcanis Monachis poſſeſſum in tres partes dividitur, & 160. Monachis ac 140. Ordinis hujus peregrinis habitationem largi-

gi-

gitur. Porticus Sacro illi, quæ eſt in Eſcuriali, longè præſtat. Alterum templum Nueſtra Sennora della Merced, eorum Monachorum, qui captivos in Turciâ liberant, artificioſis in Porticu Sacra picturis hujus Ordinis ortum & progreſſum ob oculos ponentibus celebre redditur. Tertium eſt Dominicanorum. Jeſuitæ Collegium habent cum Templo adjuncto, in quo effigies viſuntur eorum, qui ex hâc Societate Martyrum coronam adepta ſunt. In Areâ quâdam, quâ ad Xenodochium itur, duæ lapideæ columnæ vulgò Herculis dictæ, & quidem ingentes cum inſcriptione Hiſpanicâ in conſpectum veniunt. Xenodochium ex multis longè latèque celebribus haud minimum, imo præcipuum eſt. Ægrorum cuique ſuppeditantur à Medico medicamenta præſcripta, quanticunque etiam conſtent: Studioſi (nam & Academiam Hiſpalis habet,) ac nobiles peculiari conclavia poſſident. Spectatu digna quoque eſt monetaria taberna, in quâ, poſtquam Claſſis ex Indiâ reverſa eſt ſexcenti homines laboribus variis occupantur. Præcipuum quoque totius Hiſpaniæ macellum in hâc urbe, in quo quotidie ſeptuaginta boves mactari ajunt. In ſuburbio Triana hæreticis extirpandis Inquiſitio occupa-

& aurea ſceptra, civitatiſque inſignia aurea collo appenſa geſtantes. Conclave Senatorum conſeſſui deſtinatum ubique aulæis ex auro & ſerico contextis tegitur. Duæ ibi ſunt urnæ ex holoſerico rubro confectæ, in quibus vota ſeu ſuffragia colliguntur. Intus tegumenta pulcherrima ubique aquilam Romanam, & Herculis columnas cum verbis, Plus ultra oſtentant. Ad ſiniſtram curiæ vicinum eſt opus fornicatum, cum throno, quem rubrum holoſericum operit. Huic aſſident 8. Alguaziles, & ſub iis ſcriba, & quatuor miniſtri. Hi circumeuntes obſervant, quo pacto omnia vendantur; Portant album, cui crux parva cum Regiis inſignibus inſculpta eſt. Huic digitum imponentes emptores juſjurandum præſtant, ſe tanti emiſſe, quod emerunt. Siquis Venditor ſtatuto precio pluris aliquid vendiderit, mulcta pecuniaria ipſum aſſiciunt, eamque ſibi retinent; Et hi ſunt reditus ipſorum annui, de quibus vivunt. E contrario inter ipſos ſunt, qui, *Authore noſtro* referente, hoc munus triginta mille ducatis redemerunt. Officina vitriaria Sevillæ vitra conflat. Apud locum illum, ubi Sevilla illa antiqua, ſeu Italica olim fuit, hodie eſt Hieronymianorum inſigne Cœnobium Cupreſſis,

& malis aureis circumcirca ſeptum. Area apud porticum Sacram pulcher hortus eſt topiario artificio omnis generis animalia aquam ejaculantia repræſentans. In templo *S. Laurentii* ſtatua ex ligno & & ferro, ferè omnes corporis humani venulas, artificioſiſſimo opere, & imitatione incredibili mentitur. Cæterum civitas hæc ob horrenda peccata & ſcelera, quæ in eâ quotidiè committuntur, haud benè audit. Noſtri de die in plateâ publica duos videbant gladiis occidi, quorum cadavera templo cuidam apponebantur, ut ipſos ſepeliendi gratia eleemoſyna colligeretur. Alium item qui latro erat ſagittis confodi videbant. Tales die Veneris ante Paſchatos feſtum de cruce ſublati tolluntur & homo mandantur. Vulgus in hâc urbe admodum perverſum, ſi non inſanum, noſtros lapidibus petebat. In diverſorio erant apud Belgam quendam à quo pro octo realibus quiſque lautè habebantur. Boni etjam viri in permutanda pecunia fide & & opera utebantur. Duos item Germanos offendebant unum Auguſtanum, alterum Trevirenſem, à quibus multis beneficiis afficiebantur. Habitabat etiam in urbe mercator dives, Salisburgo oriundus, cui *Labermeyero* nomen erat.

Iti-

Itineri, per ambages Lisbona in hanc urbem promoto *Author* 110. milliaria attribuit. Omnes autem viatores noſtri quiſque pro hoc itinere Ductori ſuo duodecim & dimidio ducatis operam ſuam penſabant.

Poſtquam omnia Hiſpali memorabilia contemplati eſſent, de novo iterum cum ipſo duodecim ducatis quiſque pacti ut Valenciam deducerentur, IV. Non. Junii à meridie Hiſpali diſceſſerunt, & olivetum illud magnum, ac viam ſex milliarium ob frequentia latrocinia periculoſiſſimam permeantes noctu delati ſunt.

Carmonam. Nobiliſſimarum Hiſpaniæ urbium una in monte excelſo altera Rema appellatur, ex quâ, ut ante diximus, aqua Hiſpalim deducitur: Ager circumjacens fertilitate mirâ ſe effert. Vide *Marianam lib.* 17. *cap.* 13. *pag.* 118. *b.* & *Merulam cap.* 24. *fol.* 279.

III. Non. Junii quarta milliaris pars campis amoenis & pulchris diſcedentium oculos paſcebat. Mox via ſequebatur lapidoſa, olim, ut ferebant, à Romanis lapidibus conſtrata. Quinque milliarium via abſoluta Ventam offenderunt circa veſperam in quâ nec panis nec vinum ſuppetebat. Hinc per olivetum pergentes appulerunt.

Eceiam, vel *Ecizam*,olim *Nonio c*.18. referente, Augi vel Auguſtam Firmam nomine, quæ civitas ſolo fertili & paſcuis circumfuſa incolas habet lanificio, & pannorum negotiationi deditos. Cannabis etiam proventu largo gaudens in valli appoſita eſt fluvio Xenil, vel Chenil, qui aquis ſuis varios morbos curare fertur. Vid. *delic. apod.Caſp.Ens pag.*65. *ſeqq*. Noſtri Prid. Non. Junii pontem ipſi inſtratum tranſeuntes poſtea habuerunt quatuor milliarium viam per campos fertiles, & circa meridiem vilem pagum

Guadalcazar, quem *C.Ens* Guadelcacer appellat. Succedebat à meridie collibus quidem refertum ſed tamen optimé cultum ſolum, & ad ſiniſtram antè ipſos arx in ſcopulo, ut & in montibus inſigne monaſterium Ordinis *S. Hieronymi*. Veſpertinum tempus ipſos advehebat

29. *Cordubam*, vel *Cordouam* à pago dicto quatuor milliaribus ſegregatam. Proxima poſt Hiſpalim in Andaluziæ regno civitas ad Gadalquivir fluvium, lapideo ponte eleganti tectum, qui navium parvarum uſum permittit. Magna & ſpatioſo ambitu clauſa civitas, ſed ob nimiam hortorum frequentiam paucioribus ædibus referta. Situm quadratum longio-



LE "VITTORIO EMANUELE III" - BIBLIOTE
APOLI



BIBLIOTECA NAZIONALE "VITTORIO EMANUELE III" NAPOLI

giorem tamen quam latiorem extendit. Suburbia quoque ampla, præcipuæ vero, quæ orientem ſpectant, urbis ſpeciem præ ſe ferunt. Palatium regis occiduum muri ſui ambiunt. Ad hanc urbem quoque pertinet Locena cum aliis 550. focis ut *Boterus* ſcribit. Magnum ipſi damnum anno 1589, intulit terræmotus, qui multa & ſumptuoſa ædificia proſtravit, ut *Johannes de Laet pag.* 25. narrat. Territorium ejus fertile, & hortis multis abundans, aliaque commoda prolixè deſcribit. *Caſp. Ens pag.* 62. *ſeqq.* Patria eſt magni nominis virorum. Ex hâc enim urbe oriundi, uterque *Senecæ*, *Lucanus*, *Avicenna*, *Averroës*, *Johannes Mena*, *Ambroſius Morales*, *Gonzalius Ferdinandus d'Aguilar*, qui magnus Capitaneus nominatus, & alii plures. Epiſcopatus Cordubenſis 60. mille ducatorum annuos proventus habere dicitur. Cathedrale templum, la Meſquita etiam appellatum, Maurorum opus, inter Europæ ſtructuras eminet: ac 24. portas, & 365, columnas ex nigro marmore factas habet, in quarum unâ Chriſti crucifixi imago cancellis munita à Chriſtiano quodam à Mauris capto unguibus ſculpta eſſe perhibitur, quem deprehenſum Mauri laqueo ſuffocarunt; laqueus au-

tem

tem ille adhuc hodie monſtratur. Alia quoque columna, cui ſimilis imago inſculpta eſt, oſtenditur. Sacellum novum totum marmoreum, & deauratum magnitudine templum aliquod æquat. In alio item deaurato *S. Ludovicus* Galliæ Rex equo inſidens cernitur, cum epitaphiis è regione poſitis. Præcipua totius Andaluziæ nobilitas in hâc urbe commoratur, ut & Regis Hiſpaniæ ſtabulum, in quo tunc temporis 200. nobiliſſimi equi alebantur. In circumjacente enim Urbis diſtrictu equi nati cæteris omnibus in Hiſpaniâ præſtant.

Nonis Junii per colles, ac partim incultam terram, partim paſcua ſex milliarium iter veſpertino tempore eos deducebat in urbem.

Caſtro Rio, non magni momenti in colle ſitam, ſed diſtrictu malorum aureorum, citriorum, ficuum & aliorum fructuum feraci circumſeſſam.

VIII. Id. Junii duo magna milliaria conficienda erant petentibus.

Vaenam urbem monti excelſo impoſitam, & ad *Ducem de Seſsi* pertinentem ampla ac ſpatioſo circuitu diſperſa ad quartam milliaris partem remota eſt à pulcherrimâ ſylvâ malis aureis, citriis, dactylis, & olivis abundans. Vulgus hic audi-

audiens, Noſtros Germanos eſſe, vociferabantur dicentes, ſe vereri, ne vini pretium carum reddituri eſſent. Pomeridianum iter ſex milliarium magnorum perſequentes multas in viâ ſpeculas à Mauris exſtructas, & homines cappares legendo occupatos cernebant. Sub ipſam noctem ingrediebantur urbem.

Alcala real in Andaluſiâ excelſo loco impoſitam, & nobilis ac frigidi vini proventu aliiſque commoditatibus opulentam & nobilem.

VII. Id. Junii montana pervadentes ante ſe in conſpectu habebant monte nive onuſtos, ac circa meridiem quinque milliarium viâ finitâ vili pago.

Piva excipiebantur. Trium milliarium viâ, in quâ ruſticum thorace ſerico indutum arare videbant, à meridie per tractum fertilem, & variis arboribus pulchris decoratum depoſita maturè ſubſequebatur.

Granada, in quâ urbe duo Sodomiæ peccatum horrendum igne exuſti luebant. Totum Granadæ Regnum ab hâc urbe denominatum ab Andaluſiæ extremo termino ad Murciæ Regni fines ſe extendit, ac longitudine ſuâ 60. latitudine 25. & circuitu 230. milliaria complectitur. *L. Marineus Siculus lib.* 20.

ejus

ejus longitudinem ducenties mille & circuitum ſeptingenties mille paſſibus circumſcribit. Ad ortum Murciam, ad Septentrionem Novam Caſtiliam, ad Meridiem Ibericum, Balearicum, ſeu Herculeum mare;& ad Occidentem Andaluſiam confinem habet. Præter Granadam metropolin etiam aliæ ſunt urbes, de quibus in ſequentibus, & munitiſſima aliquot loca, ut Alhama, Zahara Antiquera, & ad mare Almuguecar, ac Salubregna, vel Salobregna, in quorum uno Maurorum Regum theſauri, & altero filii & fratres cuſtodiebantur. Mauris imperium obtinentibus hoc regnum erat populoſiſſimum, ac 14. florentiſſimis civitatibus & oppidis 94. eximium, quod Regibus quotannis ſeptingenties mille coronatos pendebat. Vide *Johannem de Laet in hujus regni deſcriptione.* Hodie incolis exhauſta tam opulentum non eſt. Solo tamen fertili luxuriatur, & fontibus ac thermis admodum ſalubribus abundat, ſericique commercio opulento ditatur. Cubebarum, & uvarum paſſarum copiam abundè ſufficit, Montibus vero plurimis, & altiſſimis etiam refertum eſt. Aër ſaluberrimus nec calore nimio excedit, nec frigore nimio nocet.

Gra.

Granada vel *Granata* metropolis, *L. Marineo Siculo lib.* 20. *fol.* 123. *b.* & *L. Nonio cap.* 32. referentibus, cæteras Hiſpaniæ urbes magnitudine excedens in plures colles diſperſa eſt, quorum duo cæteris excelſiores à Darro flumine, vulgò el Rio del oro per vallem labente diſterminatur. In quatuor autem partes ſitus ratione diviſa, quarum prima nomen Granada retinens templo maximo inſignis eſt: Altera Alhambra Regiam Maurorum complectitur ſumptuoſiſſimam, cui Reges Hiſpaniæ aliam adjunxerunt magnificentiſſimam, ex quo proſpectus undequaque amœniſſimus patet; de his prolixè *Nonius*. Tertia el Alveſim duobus collibus exornata, cujus Mauri antehac incolæ fuerunt. Quarta Antiquerula in planitie ædificiorum nec multitudine, nec pulchritudine prioribus tribus cedens. Totius autem urbis circuitus duodecim circiter millia paſſuum æquans ubique mœnibus clauditur, & 1030. turres numerat. Aër eſt ſaluberrimus: Opifices in urbe varii, & quidem ſerici textores plurimi. Multis enim ſerici libris exceptis, ſola mororum folia, quibus bombyces aluntur, trigeſies mille coronatorum aureorum vectigal annuum Regibus largiri ſolent. Porrò civitas hæc ſede

ſede Epiſcopali, Judicio aulæ ſupremo, Cancellaria, ſive parlamento, & Academiâ decoratur. Vide *Nonium*, *Marianam*, *Merulam*, *Johannem de Laet in deſcriptione hujus urbis pag.* 11. *ſeqq: Braunii lib. de Urbibus*, *Caſp. Ens in delic. apod. pag.* 43. *& ſeqq.* *Merula* tradente, in primâ parte cernuntur dictum Parlamentum, forum ſive area grandis 200. pedes lata, & 400. longa, cum fonte magnifico, & foro vicina domus Alcaceria, in quâ circiter 200. tabernæ inſtitoriæ ſericum aliaſque merces quotidie venum exponunt. Urbem hanc à Mauris ædificatam, & ultimam Regum Maurorum, quorum ultimum *Boabdilem* cognomento *Rey Chico* anno 1492. Rex *Ferdinandus Catholicus* expulit, poſtquàm 778. annorum ſpacio eam Mauri poſſederant, *Author Noſter* ità deſcribit. Olim hæc Urbs major quam hodie, ducenties mille cives habuiſſe dicitur. *Mariana lib.* 25. *de rebus Hiſpaniæ cap.* 16. *pag.* 439. Nomen ejus nonnulli derivant à malo granato, vel punico, quod inſigne eſt urbis, & quia domus denſa ſtructura malum punicum referant, alii vero ipſi nomen inditum arbitrantur à cocco infectorio Hiſpanis Grana dicto, & magna copia circa urbem creſcen-

ſcente. Duodecim portis adoritur & clauditur. Prima Urbis pars ipſum Granadæ nomen obtinens inferius in vallis planitie Eccleſiaſticorum, Nobilium, & præcipuorum mercatorum habitatio eſt. In eâ cernitur Templum primarium ſtructurâ magnificâ ſuperbiens, & jam pluſquam ducenties mille coronatis conſtans, tunc temporis tamen, anno nimirum 1617. nondum ad finem perductum. Viſu digna exhibet ſacellum cum apoſtolorum ſtatuis viri ſtaturam æquantibus, & pulcherrime deauratis, ac altari, in quo ciborium ſive hierotheca argentea auro obducta: & Regis Sacellum proximum, non tamen adeo pulchrum, in quo *Rex Ferdinandus*, qui hanc urbem, ut ſuprà dictum, occupavit, & uxor ejus *Iſabella*, ac eorum filia *Johanna*, ut & maritus ejus *Rex Philippus I. Auſtriæ Archidux* in tumulis ex albo marmore ſepulti ſunt. Templo huic contiguum eſt Maurorum Meſquita ſive templum Cordubenſi ſimile. Altera Urbis pars ſive arx excelſo loco impoſita, & obſitum ortui obverſum Sierra del Sol, id eſt Solis mons appellata muris ex quadrato lapide conſtructis, ac præſidio militari defenditur. Introitus rotundum oſtendit propugnaculum tormentis bellicis oneratum, altare item

cum

cum *Ferdinandi* & *Iſabellæ* imaginibus, ut & ciſterna marmorea, ex quâ optima aqua hauſta in urbem deportatur, In arcis area, nova arx imperfecta apparet, hanc *Cæſar Carolus V.* inchoavit, quod *Merula Philippo II.* attribuit. Exterior facies quadrata interior rotunda eſt. Duas habet porticus marmoreis columnis integris innitente, quarum quævis mille & ducentis coronatis conſtitiſſe perhibentur. Una alteri impoſita porticus, & quævis 32. columnas habet. Quatuor portæ marmoreæ, cum duobus quæque leonibus marmoreis, & variis emblematibus ac notis hieroglyphicis marmoribus inſculptis. Suprà portam occiduam conſpiciuntur ſtatuæ ſex Marchionum qui dictum Regem Chico pugna ſuperarunt. Supra has verò ingentes extant jaſpides. Ex hâc arce in Maurorum antiquam arcem aditus patet: in quâ adeò ſpatioſa, ut quadriginta hominum millia quidem comprehendere poſſit, viginti & unus putei marmorei in oculos incurrunt. Verſus introitum lacus eſt marmoreus lavando corpori deſtinatus, ac marmorea porticus, cujus parietes Arabicis & Mauris ſcripturis ornantur. In utroque angulo Maurorum Regum cubilia ſeu lecti adeò grandes, ut ſex quidem perſonas cuban-

bantes complecti poſſent. Ex hâc in excelſum itur cœnaculum, ſuperius, ambulacra & inferius duos lectos habens. Cuncta ex marmore, ſtatuario artificio, inſigniter exciſa. Laqueari deaurato & rotundo pulcherrimè totum decoratur. Feneſtræ ipſæ etiam marmoreis poſtibus conſtructæ, ex quibus ambulacra exeunt proſpectu jucundiſſimo ſubjectam urbem & campos contemplantibus oculis objicientia. In hoc cœnaculo Hiſpani Equite aurati & Nobiles convivia ſua celebrare ſolent. Viſu digna quoque eſt recreationis domus, ex quâ Noſtri in conclave longum, ac inde in balnea quinque marmoreis pavimentis inſignia ducebantur. Sequebatur area pulchra & magna figuram quadratam exhibens, & el quadro, vel los Leones appellata, in quâ duæ arcæ ex marmore integro quælibet decem leonibus innixæ. Ambulacra marmorea 117. columnis marmoreis fulciuntur, quibus pavimentum item marmoreum ſubſtratum eſt. Areæ huic duæ adjunctæ ſunt recreationis domunculæ, cum conclavi opus hydraulicum oſtentante. E regione porticus duo conclavia marmorea habet, quorum unius, pavimentum ex integro marmore confectum ſeptem pedes latum, & undecim longum

gum eſt. Vicinus hortus mala aurea ferentibus arboribus abundat. Ab hâc arce ulterius aſcendentibus in conſpectum venit Maurorum Regum domus deliciarum antiqua, & in montis faſtigio templum à Mauris erectum, & *S. Helenæ* jam dedicatum, ubi memoriæ peregrini nomina ſua inſculpere ſolent. Proximi ſunt varii horti, & ciſterna Algibe nominata, ac aquam pluviam colligens, cujus potus admodum gratus, & ſalubris diarrhœam ſedare fertur. In altero montis latere ædes ſacra, cui nomen el monte Santo, vel los Martyres. Hæc peregrinationibus ſacris quovis tempore verno frequentata aditur viâ pulchrâ lapidibus pulchris ſtrata, & utrinque arboribus ſepta; cruces plures in eâ diſtantia poſitæ, quam Chriſtus ad flagellationem ſuam eundo emenſus eſt. Superior ædis pars tota eſt nova, & celebris 10. ſanctorum Epiſcoporum ſepultura, quas Mauri occiderunt. Foveæ item plures monſtrantur, in quas Chriſtianos occiſos Mauri projecerunt. In tertiâ Urbis parte porta eſt, per quam *Rex Chico* poſt arcem & Urbem anno 1492, *Regi Ferdinando* traditam exivit, Regem orans, ut eam lapidibus à cæmentariis obſtruendam curaret, ne quis hominum poſtea per eam egre-

egredi aut ingredi poſſet, quod etiam impetravit. Ut autem in poſterum *Regis Ferdinandi* pollicitatio, quâ Regi Mauro ſatisfacit, immutabilis permaneret, porta grandi propugnaculo obſtructa eſt, & hactenus eodem clauſa manet. Dictus *Rex Chico*, ſive parvus, per portam egreſſus in colle pulcherrimam hanc arcem cum urbe contemplatus eſſe, ac lacrymaſſe, mater verò lacrymanti dixiſſe fertur: Jure ut puer nunc extra urbem ejulas, in quâ viriliter pugnando te virum præſtare noluiſti. In quartâ urbis parte nihil alicujus momenti, & viſu dignum ſe exhibet. Cæterum æſtivo tempore Granada civitas eſt amœniſſima ob fontium & puteorum multitudinem, quorum decem millia numerari ajunt. Glacies in cellis plurimis cuſtodita æſtivis menſibus ad refrigerandum potum adhibetur. Hinc æſtate plurimi homines ex aliis Hiſpaniæ locis in hanc urbem ſolius recreationis cauſa ſe conferre ſolent. Hactenus *Author Noſter*, qui dentium dolore inſigni vexatus in hâc urbe, cum cucurbitulis impoſitis dolori tanto mederi ſtuderet, chirurgum habuit, qui ad ſecandam aut aperiendam cutem cultro, quo panis ſcinditur utens, eum ſatis duriter tractavit. Per plateas euntes noſtri

Ger-

Germani conſuetum ſcomma Lutheranos, Lutheranos audire coacti ſunt. De plurimis hactenus dictis conſule etiam *P. Merulam part.* 2. *Coſmographia lib.* 2. *cap.* 23. quem *Author noſter* diligenter legit.

Si diutius quis hic morari deſideraret, Malagam excurrere poſſet. Emporium hoc, ut *Merula & Nonius cap.* 24. ſcribunt, admodum populoſum, quo certis temporibus undique mercatores confluunt, ut dulciſſimos fructus à Sole maturatos, & coemptos ſecum auferant, in ſolo amœniſſimo & feraciſſimo ſedem ſuam nactum vino & oleo optimo & copioſiſſimo abundat. Turribus, mœnibus & propugnaculis validiſſimis circumvallatum, & armamentario omnis generis armis & tormentis bellicis affluente inſtructum duobus defenditur caſtellis, quorum inferius Alcazzava ſuperiori Giralfarro duobus muris jungitur, ita ut ſine ullo periculo ex uno in alterum perveniri poſſit. Deinde iter inſtitui poſſet, Velez Malagam, ſeu Veluſium Malaccæ 5. milliaribus Malaga, & 1½ à mari Mediterranei disjunctum locum, in quo omnigeni fructus optimi, cumprimis Cubebæ, & Uvæ paſſæ, non ſolum de Lexia ſed etiam de Sol (duûm enim ſunt generum)



BIBLIOTECA NAZIONALE "VITTORIO EMANUELE III" - NAPOLI




NAPOLI

rum) inveniuntur. *Merula fol.* 273. Inde Alhamam Granada ſeptem milliaribus diſtantem ſi peteret, locum videret grandibus & præcipitibus quidem ſcopulis undique cinctum, ſed tamen ſitum in tractu admodum fertili, & thermis ſaluberrimis prædita, quarum calor temperatus menſe Septembri & Martio nervorum affectibus præter naturalibus mirè mederi prædicatur. Magnis ſumptibus conſervari ſolent, ut homines iis commodè uti queant. *Merula & Nonius cap.* 27. Sunt porrò plura loca viſu digna: Ronda vel Arunda in monte aquis undique circundatur. Ex urbe ad flumen per 400. gradus à Mauris ſcopulo inciſos deſcenditur. Zabara urbs & arx in excelſo ſcopulo unius & difficilis, ac ſcopulo inciſi aditus beneficio adventantes admittit. Almeria optimo ſitu haud procul à Promontorio Charidemo, vel Cabo de Gates, in diſtrictu ob maris propinquitatem commodo, & olivarum, ac fructuũm plurium ferace. Olim Abderam nuncupatam anno 1147. Mauri amiſerunt, quâ de re *Rodericus Ximenius lib. 7. rer. Hiſpan. cap.* 11. *Joh. Mariana lib.* 10. *cap.* 18. & *L. Nonius cap.* 25. Genuenſes tunc temporis nacti ſunt vas illud Smaragdinum, quod hactenus in Gazophy-

M lacio

lacio ſuo cuſtodiunt, quanquam annales ipſorum contradicunt, ut in *Itinerario Italiæ cap.* 4. *pag. ult.* diximus. *Mariana* tamen contrarium aſſerit, & *Chriſtum* ultimam cœnam celebrantem eo uſum eſſe negat. Antiquera in medio hoc regno Granatenſi inter urbes Granadam & Rondam locum non planum occupat, vicinaque eſt arci munitiſſimæ, cui Alcaſalia nomen. In hâc Reges libenter commorantur, utpote quæ proſpectu in pulchrum, fertile, & fontibus aquiſque abundans territorium jucundiſſimo oculos delectat. Arcis portæ omnes ferreæ ſunt, ac in ipsâ arce multa Maurorum arma cuſtodiuntur. *Plinius* Urbem dictam Singiliam appellat. *Ortelius in Hiſpaniæ veteris tabula Antonini* Anticariam eſſe autumat. Vide *Merulam f.* 274. & *Nonium c.* 26. Multum ſalis hic conficitur. Duobus inde milliaribus fons eſt admodum ſalubris, Fuente de Antequera, cujus aquæ calculum renum & veſicæ frangunt, ſi bibuntur. Munda quinque milliaribus Hiſpanicis ab urbe Malaga recedens, cujus *Strabo, Plinius*, & *Dion* meminerunt, urbs illa eſt, apud quam prœlium inter *Cæſarem* & *Pompeii* liberos factum eſt. *Nonius cap.* 28. Cartama oppidulum & arx duobus ab urbe Malagâ milliaribus di-



BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III
NAPOLI

5



BIBLIOTECA NAZIONALE "VITTORIO EMANUELE III"
NAPOLI

diſtant. In circumjacente diſtrictu naſcuntur Gallæ multæ, & arbuſcula ſive frutex ſummagre Hiſpanis, Sumachro Italis, & Somach, vel Smack Belgis, cujus folia coriis & capillis canis denigrandis inſerviunt. De Cartamâ vel Cartima vide *Nonium cap.* 25. Omnes hactenus nominatæ civitates, cum ſequentibus, & aliis, inter quas & Loxa, ſitum ſuum habent in hoc Regno Granadæ, cujus recuperationi *Rex Ferdinandus Cæſaris Caroli V. avus* omnes nervos intendit, & non quievit, donec aliis ſuis Regnis Hiſpanicis tandem adjungeret. Qui plura ſciendi deſiderio tenetur, legat *P. Merulam*, & præcipuam *L. Marinæum Siculum, ac Marianam.* Item *C. Ens, in deliciis apodem. pag.* 59. ubi docet quomodo duum generum uvæ paſſæ conficiantur.

Ad Noſtrorum iter redimus. VIII. Id. Junii Granada relicta maturè radices nivalium montium attingebant. Valles ſatis cultas & vini, ficuum, ac malorum aureorum feraces invenerunt. Duobus ab Urbe milliaribus pagus erat paucas ædes habens, ſed fructibus affluens. Hinc montes magis ac magis in altum ſe attollunt paſſim roremarino & ſalvia veſtiti, Poſt 6. milliarium viam confectam ſe-

cundâ pomeridianâ pervaſerunt munici-
pium

Bacam, in loco excelſo ſitum. Hinc in montibus itinere ad quartam milliaris partem promoto, tranſitus excelſus, periculoſus, & adeo anguſtus, ut uni poſt alterum aſino tranſire tantum liceat, ipſos tranſmiſit. Memorabilis hic Echo quaternâ vel quinâ vocis reciprocatione ludens. Paulo ulterius tractum offenderunt fruticibus arundinibus, ac caricibus frequentem, ut & plures in iis nodos. Cum enim loca hic periculoſiſſima ſint, & multis cædibus infamia, quiſque viatorum conſtringere nodum, & ave Maria precari pro occiſis ſolet. Poſt alterum milliare ad Ventam venerunt in ſolo nonnihil fertili, quia montes hic aliquantum minuuntur. Viam hanc trium milliarium à meridie emenſis pernoctandi facultatem largita eſt urbs

Guadix, Granada novem milliaribus ſemota. Ad colles declives in planitie grandi ſedens ingenti ſpatio diffunditur, ſed, exceptis aliquot ſic ſatis elegantibus monaſteriis, malè ædificata, cujus *Plinius* & *Ptolomæus* meminerunt. Portæ inſcripta ſunt hæc verba: *Colonia Accitana.* Aſperrimi montes undique urbem circumſepientes prohibent, quo mi-

minus oleo & aureis malis abundet; frumento tamen, vino, fructibus, & re pecoraria non deſtituitur, & quatuor rivulorum aquis rigatur.

v. Id. Junii iterum plures colles utrinque altis montibus ſtipatos tranſeuntibus obvia facta fuit roris marini copia, ingens & Venta ſeu diverſorium ſolitarium hominibus vacuum; cui, poſtquam quatuor milliarium viam expediviſſent, circa meridiem ſuccedebat aliud ſolitarium hoſpitium

La venta Babul nomine. A meridie per montes reſtabant *j*. milliaria

Baſani uſque, urbem ad Epiſcopatum Guadix pertinentem, & valli injectam, cum arce veteri collapſa, ac cultiſſimo ſolo circundatam. Si templum Nueſtra Sennora de la pietad miraculis magnis nobile excipias, nihil viſu dignum oſtendit, ac ad Granatenſe Regnum pertinet.

iv. Id. Junii montana peragrare pergentes ſeptem milliarium ſpacio nec homines nec domos videbant, donec tandem Ventam offenderent, quam vino & pane deſtitutam præterierunt, poſt quartam milliaris partem in Marchionis de Vela, vel Velez ditionem venientes, & ſolum nonnihil cultum, ſed malè habita-

tum invenientes, ita ut relictis adhuc quatuor milliaribus pernoctaverint in pago admodum vili

Veles el rubro, poſtquam totum hunc diem undecim milliarium itineri inſumpſiſſent. In ſcopulis veterum murorum rudera, munimentorum fines cuſtodientium, indicia eſſe incolæ dicebant, in quibus Mauri excubias agentes tranſitum defenderunt.

III. Id. Jun. in montanis pergentes præter duas Ventas nihil viderunt. Aliquot rivos ſiccatos, aliâs aquis plenos tranſiere, & 7. milliarium viâ terminatâ prandium ſumſerunt

31. *Lorcæ* in *Murciæ* Regno, quod Hiſpaniæ Tarraconenſis pars eſt. Murciæ termini ſunt Occidui Granada, Septentrionales Caſtella Nova, Meridionales & Orientales mare mediterraneum, quod Virgitanum ſinum, & Scombrariæ Promontorium hodie Cabo palos nominatum attingit. Metropolis eſt Murcia: Eam ſequuntur Cartagena; Lorca; Caſtellum Almacarron, ubi magna aluminis multitudo; Guardamar, Portilla; Vera, olim Virgi, unde Sinui Virgitano nomen; & Muſſacra. Territorium copiam bombycum ingentem nutriens moris ſcatet, & circumcirca urbem Murciam

omnis

omnis generis fructus profert, & in Lorcenſi agro optimi olei, quod cæteris omnibus præfertur, ferax eſt: In reliquis, præcipuè quâ ſe Cartagenam verſus explicat, non eſt quod de magnâ fertilitate glorietur. Præcipua in hoc Regno ſunt ſærici commercium, pulchra vaſa fictilia & portus Cartagenæ amœnus.

Lorca Urbs in excelſo loco, ſub ſe manantem videt Gadalantin fluvium ſex inde milliaribus in mare mediterraneum ſe præcipitantem. Solo fertili utitur. Incolæ plærique ſunt novi Chriſtiani ſive Mauri Baptizati, homines admodum mali & perverſi. Noſtri Germani coacti fuerant Alcalde Mayor ſeu Judici ſupplicare, ut pecuniâ ſuâ ſibi panem comparare liceret. Mos in urbe obtinuit, ut nemo collaria dentato ornamento decorata uſurpet. Tractus circa Urbem admodum periculoſus à latrocinantibus Mauris redditur. Facetum quid narrat *Author Noſter*, quod antè annos plures hic accidit. Mauri puero equos eripuerant, ipſumque ſecum abduxerant. Petenti conceſſerant, ut & ipſe equo inſideret, quo commodius una pergeret: Hic equâ conſensâ cum ad urbem univerſo jumento reverteretur; Mauri frenis carentes à cæteris jumentis equam inſe-

 quen-

quentibus abrepti, atque inviti Lorcam deportati & capti ſunt.

A meridie iter facientes planities excepit ad ſiniſtram montes, & ad dextram urbem Cartagenam deſerentes, quod Mauros vias infeſtantes timerent.

32. *Cartagena* olim *Carthago Nova* celeberrima fuit Urbs, de quâ *Polybius lib.*10. *Livius l.* 26. *Silius Italicus l.* 15. *&* *plures alii* legendi. Vide quoque *P. Merula cap.*22 *fol.*268 Hodie nec magna, nec pulchra, ſpatioſo tamen & pulchro portu ducentas triremes recondere poteſt. Scombri, quos macrell vocant, piſces in his locis frequentes, magni in mari huic urbi vicino multitudine capiuntur. Ab his oppoſita inſula dicta eſt Scombraria. Sparti quoque ingens vis in Urbis territorio naſcitur. *Nonius cap.* 66. tradit: *Regem Philippum II.* ne in piratarum aut Maurorum poteſtatem recideret, ejus redintegrationis initium feciſſe. Hodierno tempore profecto munitiſſimis operibus bellicis inſtructa, Epiſcopum quoque habet. Vid. *Amb. Moralem lib.* 11. *Annal. Hiſpan. cap* 19. ut & de antiquitatibus, quæ hic reperiuntur, *Jacobi Lopidis Stunicæ itinerarium ab urbe Compluta Romam uſque, quod Franciſci Schotti itinerario Galliæ & Hiſpaniæ* adjunctum

ſtum eſt. Serus veſper Noſtros Germanos deportabat, in pagum

Totanam, exiguum admodum, Commendam tamen *S. Jacobi*, ut vocant, habentem, & Lorca 4. milliaribus diſtantem.

Prid. Id. Junii Hinc inter montes per ſatis planam terram, ac Lebrillam & Cantarillam viles admodum pagos profectionis ante meridianæ milliarium octo finem fecerunt in Urbe

33. *Murcia*, hujus Regni, cui nomen dedit, metropoli, ſitâ in planitie pulchrâ, & ripæ incumbente Seguræ fluvii ut *Johannes de Laet pag.* 37. eum appellat. Fluvium hanc vallem, in quâ Murcia ſedet, amœniſſimam tranantem, Staberum appellari apud *Nonium* reperio. Alii Sorabim nominant, & Seguram forſan Hiſpani: Murcia civitas admodum amœna & pulchrè ædificata unum & dimidium milliare ambitu ſuo, & decem incolarum millia, Si *Salazario pag.* 64. *ſeqq.* credimus, comprehendit. Plateas omnes recta linea extenſas habet. Inſignia Urbis ſunt 7. coronæ, quibus à Rege Caſtellæ *Alphonſo X*. Aſtrologo, & Hiſtorico Regis *Ferdinandi Sancti* filio, qui Imperator Romanus evaſit, & cujus cor atque inteſtina anno 1283. hic ſæpulta

ſunt, donata eſt. Ordinata & laudabili rectione adminiſtratur, de quâ idem *Salazarius.* Epiſcopatum & 7. parochias habet. Franciſcanorum ſpectabile Monaſterium tribus areis, & in unaquâque duabus porticibus ſibi invicem impoſitis, ac Bibliotheca inſigni doctorum Virorum effigies monſtrante ſuperbit. Baſilicæ ſacræ turris adeo lata eſt, ut ſupra eam currus circumagi queat. Jeſuitæ etiam Collegium in urbe habent, & hortum in quo mala citria naſcuntur capitis humani magnitudinem æquantia. Quos fructus mens humana excogitare poteſt, eos circa urbem naſci invenies. Mori creberrimæ ſerici commercium mirè promovent. Arundines dulces ſaccharum largiuntur: Ad alterum milliare ab urbe oryza naſcitur, & quidem ubertim. In hortis Olivarum proventus felix, & præla multa oleo exprimendo inſervientia. Oleum autem hujus loci in magnâ exiſtimatione & precio habetur. Vide *Nonium cap.* 65. & *Merulam cap.* 22. Haud magno ab urbe intervallo monti ſuperſtructa arx Monte agudo ipſi urbi patrocinatur: Noſtri Germani hic aſperâ viſitatione exagitati pro quovis ducato duas quartas, atque ita quadraginta florenorum ſummam ſolvere cogebantur, nec niſi decem regales ex

Re-

Regno ſecum exportare ipſis licebat.

Idibus Junii hinc per hortos proficiſcentes ad tertium milliare Regnum Valenciæ ingrediebantur, in colle diſterminatum lapide ibi fines ſeparante. Via minus ſecura in hoc tractu, ubi malifici mox ex uno in alterum regnum fugâ ſibi conſulere poſſunt. Meridiano tempore advecti

Orihuellam, vel *Horihuelam* Murcia 4. milliaribus remotam urbem, quæ Latinè Orcelis nominata Epiſcopum habet, & inter montes commoratur. Amœniſſimis hortis circundata, & ſublimi ſed antiquæ arci adjecta, pulchro Jacobinorum Monachorum Cœnobio decoratur. Vide *Nonium dicto loco fol* 203. Germani Noſtri boni Hiſpani cujuſdam deprecationi debebant, quod à ſolutione cuſtodibus peras perſcrutantibus debita immunes diſcederent.

34. *Valenciæ Regnum*, quà ortum ſpectat, Mari Mediterraneo alluitur: Septentrioni ſe obvertens Arragoniam tangit: Occiduo parte Veteri & Novæ Caſtellæ confinis eſt: Meridionali termino Murciam attingit. Vide *Bernardinum Gomeſium*, *Beuterum*, *Maginum* & *Merulam*. Numerare dicitur 64. oppida & oppidula murorum ambitu clauſa, mille

pagos, 35. magna & parva flumina, 4. portus, ex quibus Alicante urbis unus. Nullibi plures quàm in hoc Regno Maures ad Chriſtianam fidem converſos, quos Moriſcos appellat, habitare dicunt. Hortis amœnis, lociſque magnam recreationem afferentibus, oryza item, ſaccharo, aliiſque pulchris fructibus, variiſque ſimplicibus Pharmacopolis inſervientibus affluit. Præcipua poſt Valenciam metropolin loca ſunt 1. Gandia Jeſuitarum ſchola celebris. Hanc inſtituit *Franciſcus Borgia* loci hujus Dux, qui ipſe Jeſuitarum Ordini ſe mancipavit. 2. Denia proprium ſuum Marchionem habens, ac arcem à naturâ & hominum artificio optimè munitam, ut & duos portus mercatorum navibus plurimis frequentatos. Situm enim ad negotiationem in mari exercendam commodiſſimum nacta in colli ſpeculam habet, nautis in mari longe remotis in conſpectu verſans. De Denia ſeu Dianio vide *Nonium in Hiſpan. cap.* 67. 3. Biar optimo & albiſſimo melle nobilis. 4. Xerica, 5. Orihuella. de quâ in præcedentibus. 6. Alicante. 7. Morvedro. 8. Xativa, & aliæ de quibus in ſequentibus. Vide *Franciſci Didaci annales Valent. Regni anno* 1613. *edit.*

Ho-

Horivela vel *Orihuella* à meridie diſceſſum ſuum maturantes per pulcherrimos hortos, ac duo municipia, & porro planos & cultos campos duorum milliarium longitudine excurrentes ſe contulere in Urbem

Elchen, ſecundum quoſdam duobus tantum milliaribus à mari ſecedentem, quæ Illice olim Illicitano Sinui nomen ſuum indidit, quem à ſequente urbe Alicante denominatum eſſe autumant. Prior opinio *P. Merulæ*, poſterior *Botero*, *C. Ens*, & *Johanni Laetio* placet. Aqua ferè omnis ſalſa eſt in urbe Elche, quæ ſic ſatis ædibus decorata hortis abunde dives eſt, & arboribus, palmis præcipuè, & arboribus illis, quæ ſiliquas Græcas ferunt. Vicinam habet civitatem Guardamar, ex quâ Belgarum nautæ ſal navibus in Belgium advehere ſolent.

XVIII. Kal. Quintil. per planam ſed incultam, ac arboribus ſolis veſtitam terram quatuor milliarium profectione tendebant

35. *Alicantem.* Hanc Urbem Veterem Illicen eſſe ſupra nominati opinantur. In maris Mediterranei littore cubans, & ab uno latere montibus ſtipata portu ſuo Regi magnum commodum parit. Eum frequentant Germani & Belgæ vinum

ne ipſam urbem Mauri petituri eſſent. Noſtris itaque timor injectus, qui alias ſatis commode hic habebantur, ab Hiſpano quodam ſuæ uxori hic habitanti, commendati. Nam apud hunc, cui *Franciſco Marques* nomen, Belgarum, Anglorum, & Germanorum mercatores & nautæ hoſpitia ſua habere ſolebant. A meridie hora 4. hinc abeuntes jumentis ſuis per lapidoſam montium puerto de Malamagor viam vehebantur, omnigenum fructuum & vinearum copiam tamen cernentes, ac quatuor milliarium ductu de nocte pervenientes in urbem

Xicono vel *Xicona* 700. circiter focos numerantem, & inter montes ſedem nactam, cui Caſtellum excelſius imminet. Tranſitus eſt anguſtus remorando exercitu alicui admodum idoneus. Vinicultura frequens urbem opulentam reddit.

XVII. Kal. Julii itinere per montes continuando occupatis frequentiſſimi Roris marini frutices, & inter lapides culti campi incolarum laborioſam diligentiam loquentes ſe obviam tulerunt. In viâ quatuor milliarium, Alcoil oppidulum permeantes, ipſo meridie aſſequebantur

Contentaynam pagum, quem *Merula* pag.

*p.*164. urbem nuncupat. Pomeridianum iter per montes, nonnullis parvis pagis in conſpectum productis, cum veſperâ ingruente in montana, quadraginta fontes cæmentario opere comprehenſos exhibentia ſe inſinuabat, noctu per pontem ducens, & inde

Xativam, cujus à priore loco diſtantiam quinq; magna milliaria metiuntur. In pulcherrimarum Hiſpaniæ Urbium numero eminenti colli ſedem ſuam immiſit, quà infrà eam Sucro, vel Xucar fluvius præterlabitur. *Nonius cap.* 68. Supra urbium duo caſtella mutuâ oppoſitione ſe inſpectantia. Ab ipsâ Urbe 3000. focos numerari prædicant. Ædificiorum plærique ſtructura grandi ſurgentia palatia potius, quam domos appellaveris. Ex fontibus plurimis aqua optima per canales in Urbem immittitur. Solum urbem ambiens à plurimis hortis omnis generis fructus, ac punica mala præcipuè miniſtrantibus admodum amœnum redditur. In eo linum quoque præſtans ſed brevius naſcitur. Vide *Plinius lib.* 19. *cap.* 1. Noſtris ibi morantibus *Princeps de Aſcoli* ex Neapolitano Regno huc deducebatur, ut captivus detineretur.

XVI. Kal. Julii quatuor milliarium diſtan-

ſtantia ſuperata ipſis dabat municipium

Algemeſin milliari uno remotum ab oppido Alcira, vel Alzira Sucroni vel Xucaro fluvio admotum, & ſerici commercio nobile, quod in viâ obvium habuerunt. A meridie quinque milliarium intervallo permeato pernoctaturis ſe offerebat urbs

Valencia, inter quàm & Xativam viâ intercedens tantâ pulchritudine & amœnitate conſpicua eſt, ut vix amœnior & pulchrior excogitari queat. Vix dimidium milliare confectum eſt, quin municipium, oppidulum, aut pagus ſe in conſpectum det. Cum liberis uxores antè januas ſedentes ſericis filis ducendis operam dant; Novem hæc milliaria hortum perpetuum, in quo omnigeni fructus, ac variæ arbores mira viatorum animos voluptate perfundunt, & oculos jucunditate incredibili paſcunt, ſi diceres à veritate non abluderes.

36. Urbs *Valencia* Regni hujus à ſede nominati caput, *Nonio cap.* 69. docente (vide de hâc urbe *Anton. Beuterum in Chron. Hiſpan. & Regni Valenc.*) & notæ præcipuæ civitas amœno ſitu in Tarraconenſi, vel citeriori Hiſpaniâ ter mille paſſuum ſpacio à Mediterraneo ma-

mari poſita eſt in margine fluminis Turiæ, quod *Author Noſter* Quadalavias, *Maginus* Guetalabiar, & *Boterus* Guadalaviar, quod nomen pulchram & limpidam aquam ſonant, appellaverant. Fluvium hunc tres pontes regunt. Urbs vulgari proverbio Valentia formoſa nuncupatur, & duodecim ædium millia, ut *Merula* ſcribit complecti fertur, non annumeratis iis, quarum in ſuburbiis, & hortis forſan etiam tot eſſe poſſunt. *Petrus Medinenſis* decem puteorum & fontium millia, & quod excurrit, hic numerat. Panni in hâc urbe parati adeo denſi ſunt, ut pluvia eos penetrare nequeat. Commerciis quoque urbs maxime floret, Romanorumque tempore jam innotuit. *L. Marinæus Siculus in fine lib.* 3. in hâc urbe conſuetudinem eſſe, ut maleficorum cadavera ex loco ſupplicii ipſo feſto *S. Matthiæ* ſacro auferantur, & ſepeliantur. Noſtris hunc ritum explorantibus, fabulam eſſe reſpondebatur. Abundabat hoc Regnum ſuperiori ſæculo plurimis Mauris, qui anno 1610. exacti ſunt. Unicuique exeunti, ut tabula opere cæmentario curiæ muro inſerta teſtatur, tantum, quantum poterant, ſecum portare licebat. In fine urbis domus erat, in quâ liberi ipſorum, quos

relin-

relinquere cogebantur, in fide Chriſtianâ inſtituebantur. Aër urbis & regionis admodum temperatus, & terra adeo fertilis, ut Campaniæ, aut terræ di Lavori in Neapolitano Regno, ut *Nonius d. cap.* 69. dicit, minimè cedat. *Mariana lib.* 10. *cap.* 4. *fol.* 410. *à. Hiſp. hiſt:* ſcribit; Urbem hanc in Edetanis ſitam, aquarum divitem, ob varias res admodum amœnam, commerciis cum exteris nationibus celebrem, incolarum civilitate nobilem, æquè hoc tempore, ac olim famæ celebritate illuſtrem eſſe. Vide, quæ de hâc Urbe *Idem lib.* 12. *cap. ult.* tradit. Incolas profectò jucundis, civilibus, & humanis moribus præditos eſſe mirum non eſt, quandoquidem multi nobiles in eâ habitant, & ſtudioſorum magna ad hanc Academiam multitudo confluit. Ex urbe hâc oriundi fuerunt duo Pontifices *Calliſtus III. & Alexander VI.* ut & *Ludovicus Vives* vir ille doctiſſimus. Anno 1599. *Rex Philippus III.* cum *Auſtriæ Archiduciſſa Margaretha*, & *Albertus Auſtriæ Archidux* cum *C. E. Iſabellâ Hiſpaniæ Infantâ* nuptias celebraverunt. *Margaretham Reginam* magnificentiſſimâ pompâ coronat. 3000000. conſtante in hâc Urbe exceptam fuiſſe ſcribit *Bochius in hiſtor. narrat. de Alberto &*
Iſa

Iſabell Archid. fol. 100. *edit. Antwerp. de anno* 1601. Proregem hic Rex alit, cui muneri tunc temporis, anno nimirum 1617. *Dux de Feria* præfuit. Quemcunque Rex vult, huic Regno præficere poteſt, quandoquidem tantis privilegiis, quantis Luſitania, non munitum eſt. Hoc unicum habet, quod Rex tenetur in propriâ perſonâ in Regno ſe exhibere, & filium ſuum Principem offerre. In Audientiâ, ut vocant, Prorex ſupremum locum occupat, & duodecim aſſeſſorum opera utitur. Omnes ab ipſo appellationes rectâ ad Aulam Regiam transferuntur. Urbi præeſt Corregidor ſuus. Nobiles vero proprias ædes habent, la caſa de la deputaticion nominatas, in quibus congregati de rebus regnum concernentibus agunt. In Academiâ *S. Dominicum* docuiſſe ferunt. In eâ duo ſunt Collegia, unum à *Carolo V.* alterum pulchrius ab Urbe extructum. Jeſuitis ſua ſunt collegia. Hujus loci Archiepiſcopatum ſingulis annis centies mille ducatorum reditibus frui dicunt. Archiepiſcopi hujus anteceſſor, qui titulo Patriarchæ Antiochinenſis fruebatur, magnificum Collegium extruxit, & large ditatum 24. juvenibus Sacerdotibus alendis deſtinavit. Primarium templum Sedes Apoſtolica vo-

vocatur. Latus chori unum ex Alabaſtro multis imaginibus Biblicis exornatur, ſuperius *S. Virginis Mariæ*, & infantuli imaginem artificioſè à Belgâ quâdam depictam oſtentans. Ara in templo argentea, & lampadibus 14. argenteis inſtructa. Turris 202. gradibus aſcenditur. In *S. Andreæ* templo ſepultus eſt novus ille Sanctus *Franciſcus Hieronymus Simon* qui ætatis 33. annum agens, 25. Aprilis anno 1612. vivere deſiit; tunc tamen temporis, anno nimirum 1617. nondum canonizatus, aut inter Sanctos à Pontifice relatus, quamvis multa miracula jam tum edidiſſe ipſum perhibuerint. Apud altare ipſius plurima induſia ſuſpenſa, ut & res aliæ ab iis, quibus adjumento fuit; tot, inquam, quod apud nullos alius Sancti in Hiſpaniâ altare conſpiciuntur. Lampas ibi ab Alberto Archiduce donata, cujus confectio tantum octo mille Ducatis conſtitiſſe perhibetur. Vivus nemini, ſe miraculorum dono præditum eſſe, revelaſſe, ſed moribundus illud indicaſſe fertur. Ante Sacellum triverſus leguntur *Mortuus eſt non fœdatus.* Inter res precioſas dono datas longa eſt faſcia annulis repleta, quos pretioſi lapides exornant. Noſtris exhibebatur exoſculandus Calix, quo miſ-

miſſam celebrans uſus eſt. Burſa ubi mercatores urbis negotiandi cauſa convenire ſolent, & armamentarium in Urbis extremitate viſu quoque digna ſunt. Inde exitus patet in propugnacula novendecim ærei tormentis majoribus munita. Inter alias commoditates Urbem ambientes lacus eſt pulcher tria milliaria circuitu ſuo claudens, & Albeſera dictus. Dimidio ab Urbe milliari pagus Porto el grajo mari propugnacula opponis tormentis æneis onuſta, pontemq; ligneum 150. paſſuum longitudine in mare projicit. Sexus fœmininus in Urbe reliquo totius Hiſpaniæ ob pulchritudinem præfertur, ſed libidinis infamiâ Urbem famoſam reddit. Vide *Boterum in relat. part.* 1. *lib.* 3. & *Lanſium in orat. contra Hiſp.pag.*502.*in* 8.

Poſtquam Noſtri Viatores omni in hâc Urbe viſu digna contemplati erant, novo pacto cum ductore ſuo inito, ut Barcelonam & Saragozam deducerentur, pro ſingulis perſonis 10. Ducatos ſolvebant. Reculas ſuas novæ inveſtigationi & conſignationi ſubjicientes, *Franciſco Roberto del Rupe* deprecante, ducentos coronatos liberos & à vectigali immunes conſervarunt. Iter, quod Sevilla in hanc Urbem uſque fecerunt, eſt 125. mil.

milliarium, alias 107. milliarium ſi rectam viam inſtes. Sex Denires pro uno Ducato pendendi in duas partes dividantur. Commeatus liberi Schede in quatuor diverſis locis ſubſcribuntur.

XIII. Kal. Quintilis hora 10. Valenciæ valedicentes apud portam à duabus cuſtodiis, ac mox poſt ſemi milliare iterum divexabantur. Ferè maris ductum ſequentes via commoda 4. milliarium utebantur, & meridie veniebant in urbem

Morvedro, in Valentiæ Regno, ut *Nonius*, & *Johannes de Laet* ſcribant, à mari bis mille paſſibus diſſitam. Locus hic Saguntum eſt, Romanis olim fidiſſimum, cum ab Hannibale Carthaginenſium Duce obſidione cingeretur, & caperetur. *Polyb. lib.* 3. *Plin. lib* 16. *cap.* 40. *Livius lib.* 21. *&* 24. *Florus lib.* 2. *cap.* 6. *Æmilius Probus in Hannibale, Oroſius lib.* 4. *cap.* 14. *Eutropius lib* 1. *& alii plures.* In mero ſcopulo ſitam olim amplam admodum fuiſſe collapſa rudera teſtantur. Ad portam propè templum cathedrale *Hannibalis* dicti caput lapidi inciſum cernitur. In Urbis portæ tabulâ lapideâ admodum confracta vix verba legi poſſunt, quæ *Nonius* & *Merula* habent. Proxime dictum templum ingreſſus

ſus patet in ſcopulum monſtrantem rudera Amphitheatri vetuſti, ſedes viginti octo lapidibus inciſas, & ſibi mutuo impoſitas, oſtendentis. Fornicibus ſuſtentantur adeo craſſis, & firmis, ut tormentorum æneorum ictibus difficulter comminui queant. Vide *Nonium cap.* 70. Superius adhuc caſtellum eſt, ſed in collapſis ruderibus jacens, ut *Author Noſter* tradit.

Ex hoc loco deſcendentibus via 4. milliarium porro terram ſic ſatis cultam, & pagos, aliquot exhibebat; Ubique vero locorum à cuſtodibus excubias agentibus, qui nullibi adeò crebri quàm his in locis, ne ſericum exportetur, multum negotii faceſſebatur. Nocturnam quietem cupiebant in oppidulo

Villa real, in planitie oleas ſativas tidiarum proceritatem æquantes producente. Veſtitus hic mutari incipit, fœminis ſe magnis collaribus & cincinnis complicatis, ut in Germaniâ exornantibus.

XII. Kal. Julii in viâ quatuor milliarium longitudine exporrectâ, & per ſatis cultum territorium ducente, ac quandoque collibus ſurgente, poſt moleſtias novas à cuſtodiâ creatas, tres pagôs, ubi arx vetuſta, & lapidoſos montes, meridie ſe receperunt in pagum

Caba-

Cabanes. Pomeridianum iter exhibebat item cultam terram, & oppidula duo las Cuevas, & Salſadellam.


S. Mattheo oppidulum, adhuc in Valenciæ Regno, à præcedente pago 5. milliaribus dimotum, nocturno diverſorio viatores noſtros commode & laute excepit. Inde interſtitio haud longo eſt Peniſcola civitas ad Mare, quò ſe recepit *Papa Benedictus XIII.* cum à Concilio Conſtantienſi depoſitus eſſet. Munitiſſimus in acuminato ſcopulo ferè toto mari circumfluo. *Laetius* ad Catalauniam, *Salazarius* ad Valenciam refert.

x. Kal. Quintil. aſpera & lapidoſa viâ utrinque tamen frumenti & vini ferace, ac rore marino abundante ferebantur per duo oppidula Talets, & Traiguerra adhuc in Valentiæ Regno ſita. Mare mediterraneum ſemper ad dextram ſequebatur, adeo ut periculoſum ob latrocinantes Mauros iter habuerint 27. circiter Turres *Carolus V.* in locis commodè in littore ſitis excitandas curavit, in quibus ſemper duo pedites, & unus eques excubias agendo piratarum & hoſtium adventum ſignis datis incolis ſignificant, ut *Johannes de Laet pag.* 16. ſcribit. Noſtris plures rivi aqua accedente periculoſi tranſeundi erant, 4. milliarium itinere

 facto

facto die medio prandii ſumendi gratiâ ſubſtiterunt in Venta Hoſtal & diverſorio la Sena rivo vicino, ubi Valencia & Catalonia ſeparantur.

38. *Gothalonia, Catalonia, Cataulaunia* (vox ex Gothis & Alanis compoſita creditur) inter Aragoniam, montes Pyrenæos, & mare mediterraneum, à quo ad Valenciæ Regni terminos uſque lavatur, à Salſas ad Iberum, vel Ebro flumen ſe exporrigit, & triangulum ſitu formans tridui iter fere longa & lata eſt. Vide *Jacobus Bracellus Hiſp. belli lib.* 1. *circa finem. Merula part.* 2. *Coſmogr. lib.* 2. *cap.* 15: *Hieronymi Paulo* tradente; longitudo ejus fere 170. & ubi latiſſima 130. milliaria Italica habet. Regnum hoc complectitur 56. partim urbes, partim oppidula muris cincta, & haud exiguum pagorum numerum, in quibus ſexcenta hominum millia numerari ajunt. In eo ſunt unus Ducatus, 3. Marchionatus, 11. Comitatus, & multi liberi Baronatus, qui majore & minore juriſdictione fruuntur. Longè populoſior hæc eſſet Regio, niſi libertatis amor nimius incolas adeo ſuperbes redderet, ut agriculturam, & rem pecorariam nihili facerent. Unde non fruſtra creditur: Gallorum, & eorum qui Gallis ortum duxerunt, pluſquam cen-



BIBLIOTECA NAZIONALE "VITTORIO EMANUELE III" - NAPOLI

centum millia per hoc Regnum diſperſa eſſe. Cataloniæ Regno quoque adjungitur Comitatus Roſſilon, Ronciglione, vel Ruſcinonenſis Comitatus, qui Comitis *Gerardi dè Roſsilon* ſine hæredibus diem obeuntis, morte anno 1178. ut *Mariana lib.* 11. *cap.* 14. *pag.* 473. *a.* tradit, ad *Alfonſum* Arragoniæ Regem devolutus eſt. Eum tamen poſtea cum Ceretanis Rex *Johannes II.* pecuniæ defectu laborans *Regi Galliæ Ludovico XI.* pro ducenties mille, ut *Mariana lib.* 23. *cap.* 4. *pag.* 334. *b.* narrat, vel trecenties mille florenis, ut *Nonius cap.* 91. *pag.* 287. refert, oppignoravit: Quem *Ludovici* filius *Rex Carolus VIII.* anno 1491. Aragoniæ Regi *Ferdinando* reddidit, eâ tamen conditione, ut *Boterus part.* 1 *delle relat. univerſ. lib.* 1. *pag.* 8. commemorat, ut in Neapolitano bello *Ferdinandus* ipſi impedimento non eſſet. *Mariana de reb. Hiſpan. lib.* 26. *cap.* 4. *pag.* 454. hoc addit, Utrumque Regem hoc etiam pactos eſſe, ne *Ferdinandus* filiam ſine Regis Galliæ conſenſu elocaret. Comitatus autem hujus metropolis eſt Perpinianum, ut *Boterus*, *Salazarius*, & *D. T. U. Y.* memoriæ produnt. Munimentum, ut & Salſas, eſt validiſſimum, & Galliæ ſe opponens, Mari accumbunt

diverſa oppida & portus, ſed tamen anguſtiores, & minus tuti, quod nimis vento expoſiti ſunt. Colibræ, olim Illiberis parva adhuc veſtigia ſuperſunt. Helna, olim Helena in hoc comitatu, ubi *Cæſar Conſtans* vitam amiſit, Epiſcopum habet. Vide dictus *Mariana lib.* 4. *cap.* 17. Urgel civitas in Ceretanorum regione ſub Pyrenæis montibus tractum fertilitate ſuâ nobilitatum occupat. Vicque vel Vich civitas in ſolo aſpero, & ferè deſerto incolas craſſos, inciviles, & præ aliis Hiſpaniæ gentibus, admodum ſtupidos aſinos alit, quod Encomion *Botero fol.* 9. eorum laudes ita buccinante, debent. Cardona cognominis Ducatus metropolis à Barcelonâ totius Cataloniæ metropoli proximum inter præcipuas hujus Regni urbes locum obtinet. Mons ibi, cujus terra inſtar farinæ, & fons, cujus aqua vino rubro ſimilis eſt. Sal hujus loci magni fit. Albo colore cum nive certat; alius Cryſtallum æquat, quidam cœrulæi, alter viridis, tertius crocei, alius rubri, aut alius eſt coloris. Contuſus tamen ad albedinem cedit, & ſemper augetur. Ac acer quamvis ſit, çircumcirca tamen locum illum, unde eruitur, multæ herbæ, & plures fructus naſcuntur. Cæterarum Cataloniæ urbium meminit ſequens

quens itineris hujus deſcriptio, exceptis Salſona, Junquera & ſimilibus. Perpinianum autem & Salſas, ac Gironda in tertio Capite deſcribuntur. Catalonia autem ut plurimum ſterilis, plus pomorum & fructuum quam frumenti, pluresque ſylveſtres quam alias arbores producit, adeo ut incolæ victum & amictum potius Maris quam terræ adjumento conſequi ſtudeant, ut *Maginus in Geogr. pag.* 54. *a.* docet.

Ad Peregrinatores Noſtros revertamur, qui à meridie dictam Ventam Hoſtalet reliquerunt, viam 4. milliarium per incultam terram rorem marinum tantum nutrientem, ſequentes, &

29. *Tortoſæ* pernoctantes. Civitas hæc *Ptolomæo* Dertoſa in fertili diſtrictu, ad Iberum vel Ebrum fluvium, qui 23. Maji anno 1532. Eam magno damno affecit, & ripas ſuas jungit artificioſo admodum ponte ex navibus confecto, cujus deſcriptio ex *Marineo Siculo* petitum *Caſp. Ens in deliciis ſuis pag.* 35. proponit. Primus hujus loci, qui etiam Academiam habet, Epiſcopus *Rufus* fuiſſe dicitur. In monte duo caſtella oppoſita ſe mutuo reſpiciunt. Civitas portam habet ex fuſco marmore conſtructam, & operibus torno

formatis nobilitatur, ut & fodina proxima marmora pulcherrima ſuppeditante, fodinis item argenti, lapide, fibris aureis perfoſſo, alabaſtro, alumine, gypſo, & vaſis fictilibus porcellanis ſimilibus, ut *Author noſter* ſcribit. Noſtri in ſuburbio al Sol hoſpitati laute habiti ſunt. Plura vide apud *Marineum Siculum lib*, 16. *fol.* 91. *Complutenſis edit.* 1533.

x. Kal. Jul. Iter mare legens ob Mauros rapaces omittentes montana tranſire conſultius duxerunt, & fere uſque ad meridiem Ebri ductum ſequentes olearum magnam copiam viderunt, ſuperatiſque horridis & confragoſis montibus ad ſiniſtram oppidulum, & arcem relinquentes ipſâ meridie antemeridiano itineri finem impoſuerint in municipio *Gmeſtar*, quinque grandibus milliaribus Tortoſa ſegregato. A meridie per montes profectionem promoventes & à flumine Ebro ad dextram deflectentes Tincam opidulum, ac poſtea in montibus adhuc duos pagos obvios habuerunt. Appetente veſpera apud poſteriorem planities & mare ſe obtulerunt, multas ſpeculas paſſim cernebant, & obſcuritate magis ac magis ingruente multos ignes, qui ipſis ob Maurorum graſſationes haud exiguum timorem incutiebant.

Ho-

Hora noctis 12. in oppidum

Cambrillam venientes, 5. magna milliaria abſolverant. Hactenus unius diei iter majus & longius hoc non confecerunt, cum 17. horas equitando conſumpſerint. Civitas hæc ad mare poſita, & ingentibus muris ſepta, *Salazario* hinc Valenciam 35. milliaria, ſi rectam quis viam ſequatur numeranti dicitur. Solum civitati circumjectum ob campos amœnos, arborumque pulcrarum, ac pagorum & municipiorum inter eam, & Tarragonam intercurrentium multitudinem pulchrum & amœnum eſt.

IX. Kal. Quintil. dicta planities duorum milliarium eos demittebat

Tarragonam, pervetuſtam & in Hiſtoriis admodum celebrem urbem, in Hiſpaniâ citeriori, quæ Latinis Tarracon, vel Tarraco appellata, parti Hiſpaniæ Tarraconenſi nomen indidit. Vide *Ludovicum Pontium libro ſingulari de los Grandeſas de Tarragona uti citatur à Marco Zuerio Boxhornio pag. 6. b. Theatri Hollandiæ.* In Maris Mediterranei faucibus ſcopulo inſidens vetuſto & firmo muro tuta eſt. Propugnacula aliquot tormentis majoribus piratis minantur. Bis mille ædium capax eſſe fertur, quamvis ferè trecentas tantum habeat, plæraſque la-

pide quadrato ſtructas. Commerciis ſuis ditatur, Epiſcopatu vetuſto ornatur,& Academia nobilitatur,cujus *Card.Caſp.Cervantes* fondator eſt. Rerum ad hominis neceſſitatem & voluptatem neceſſariarum penuria nulla laborat. Vini,frumenti,olei copia ingens. Pecorariæ rei abundantia; Antiquitatum item frequentia. Templum in *Auguſti Caeſ.* honorem *à Tyberio* erectum:*Nonius* 8 5.c.*Paulus Oroſius* Tarraconenſis fuit. Noſtri hâc in urbe primum innotuit ſodalitiũ fratrum eorum, qui ſe *Fratres puriſsimi ſanguinis Chriſti & Mariæ* appellant, & eodem cum Cappucinis veſtitu utuntur. Ad ſiniſtram Royas urbs monetam cudit, extra ejus territorium non uſitatam. Hanc author noſter habet, quam in typis Geographicis, in quibus Manteſe eſt, non invenio.

Hinc itinere continuato per maris arenoſum littus ſpeculas aliquot cernebant, & vetuſtam arcem Almaryquæ ſic ſatis munita mare circumjacens tutum præſtare dicitur. Ipſis piſcatores piſcem oſtendebant, qui nil niſi caput erat. Ad ſiniſtram montes habebant fertiles. Circà meridiem aderat la torre Dembara 1, vel 1½ milliaria Tarragona diſtant. Hinc iter quis facere poſſet ad dives Ciſtertienſis Ordinis monaſterium Poblet, vel Poblet-

bletto, ubi Aragoniæ Reges ſepulti ſunt. Extructum hoc Populetum ab *Alfonſo* Barcellonæ Comite, & primo Aragoniæ Rege ibidem ſepulto. *L. Marineus Siculus lib.* 9. *fol.* 50. *b.* Noſtri à dicto loco la torre Dembara littus maris milliari adhuc uno permeantes, poſteâ à mari iter declinârunt. Solum erat fertile & pagis pluribus pulchris conſtratum: Arcus Romanus in libero campo, & maleficus arbori laqueo annexus cernebatur. Veſperi adventantes præſtolabatur

Villa Franca 4. mill. Oppidulum ſatis commodum, & muris ſuis tutum. Fœmininus ſexus cum Auſtriaco in veſtitu convenit. Ruſtici Gaſconum more tunicis veſtiuntur, & fere quiſque haſta munitus eſt. Noſtri ipſa *S. Johanni* ſacri feſti veſperâ in hâc urbe præſentes multos ignes artificiales excitatos cernebant. *Salazarius* hunc locum in hoc tractu non ponit, ſed Villam nuevam, Villam Francam longius inde removens.

VIII. Kal. Julii inter montes per vallem profecti optime cultum diſtrictum, ac vini, frumenti, & arborum feracem pervaſerunt. In via erant aliquot exiles pagi, & duæ arces excelſæ. Vigeſies ter amnem Lobreger, quem *Boterus* Lobregato, & *Nonius fol.* 274. Lobregat

nominant, jumentis tranſire cogebantur. Quatuor milliaribus confectis ſubſequebatur hora 9.

Martorel oppidulum Comiti de Benevento in dicti fluminis ripâ, ubi pons eſt pro tranſitu à viro & equo duorum denieres ſolutionem exigens, pro quâ ſolutione ſolvens ligurâ ex pilis confectâ, & dimidio denir æſtimatâ donatur. Alius item pons lapideus arcubus altis innitens opus antiquum eſſe videtur. Pomeridiana profectio dictum flumen legens, poſtea duobus realibus pro univerſo comitatu ſolutis, illud tranſibat. Alveo ſuo ſæpius excedens haud parvo diſtrictum hunc damno afficere ſolet. Totum territorium Barcelonam uſque frugiferis arboribus, frumenti feracibus campis, vitibus arbores, ut tilias, ſcandentibus, luxurians, multitudine item ædificiorum longo ordine projectorum eminens peregrinatoribus viam jucundiſſimam exhibet. Noſtri oppidulum tranſibant, in quo exile erat *Comitiſſæ de Benevento* palatium. Prorex Barcinonenſis tunc temporis trecentos latrones hanc viam infeſtantes laqueo ſuffocandos, & patibulo affigendos curaverat, poſtquam Comes quidam, Ducis Sabaudiæ Conſiliarius interfectus fuerat à tribus ejuſmo-

modi latronibus, quorum membra in publicâ viâ ſuſpenſa Noſtri viderunt. Ad dextram erant elegans deliciarum domus ad Nobilem quendam pertinens, & Caſtellum Fex in loco excelſo, Caſtillo de Fels *Salazario* dictum, quod via Regia præterit. Pomeridiani hujus itineris per milliaria 4. finem fecit

40. *Barcelona*, Latinis *Barcino*, agri Laletani civitas in campeſtri loco, ut *Nonius cap.*88. dicit. Vide etiam *L. Marineum Siculum.* Cataloniæ caput peculiaris etiam Comitatus habetur, & hodierno adhuc tempore monetam cudendi facultatem uſurpat, cujus numiſmati, denires vocant, inſcriptum eſt Barcino civitas. Cum, Cæſaribus *Honorio* & *Theodoſio* Imperium obtinentibus, varii populi Hiſpaniam invaderent, & Wandali Tarraconem hujus territorii præcipuam urbem occupatam evertiſſent, Barcelona incolis aucta cum reliquâ regione Gothis & Alanis ſubjecta fuit. Poſtea, Gothis, qui jam Romanorum moribus imbuti, & diuturnâ pace, & voluptatibus effœminati variis ſceleribus, flagitiis, & ſcortationibus indulgebant, à Saracenis & Mauris ſub jugum redactis Barcelona eidem jugo ſe ſubmittere coacta eſt: Erepta tamen Saracenis à Cæſare *Carolo*

Magno, & filio ejus *Ludovico I.* qui proprios Comites ipſi præfecerunt, *Barceloniæ* Comites ideo nominatos. Tandem Anno 1162. Aragoniæ Regno adjecta eſt. De his Comitibus conſule *Rodericum Toletanum lib.6.cap.3.* & *Marineum Siculum lib. 9. cap. 10.* Sequutis temporibus demum florere incepit, præcipuè poſtquam inſulæ Baleares Majorica & Minorica occupatæ, & ex pulcherrimo Valenciæ Regno Mauri plane ejecti ſunt. Nam & commerciis operam danti, & bello ſtrenuè vacanti tantæ opes acceſſerunt, ut inter potiſſimas *Hiſpaniæ civitates*, & Europæ celeberrimas numerari cœperit, & ad hunc uſque diem gloriam & celebritatem ſuam propagarit. Mari mediterraneo adjacens in portu pontem 750. paſſuum aquæ immittit, frangendi cauſa vim ventorum, qui pleno flatu ſpatioſam hanc ſtationem infeſtantes navibus incommodat. Quandoque enim maris fluctus huic civitati detrimentum attulerunt, & adhuc afferunt. In Italiam profecturi plærumque in hâc urbe naves conſcendunt. *Auſtriæ Archidux Albertus* anno 1595. Madrito Complutum vel Alcalam de Henares, Guadalaſarum, Darocam, Carinnenam, Saragoſſam in Aragoniâ, ac inde quatuor dierum ſpacio

Leti-

Leridam, & porro Tarragonam, Monteſerratum tandemque Barcelonam profectus navem in hâc urbe ingreſſus eſt, & mari tranſmiſſo Savonam venit. Barcelona multis locis circundata, & hodie quam olim diffuſior muro & lateribus coctis ſepitur, diverſis in locis turres adjunctas habente: foſſa item lata ac profunda, & vallo admodum lato, in quo veſpertino tempore nonnunquam centum curribus incolæ nominis alicujus vecti, & auram ex mari flantem captantes recreationi ſuæ indulgent. Ædibus lapide cæſo ſtructis inſignem horti amœni pulchritudinem conciliant. Plateæ latæ, apertæ & quod rarum in Hiſpaniâ, mundæ, quia ædes latrinis & cloacis ſuis inſtructæ ſunt. Vide *Nonium dicto loco*, qui etiam *pag.* 280. Gothici Regis *Ataulphi* epitaphium refert. Frequens & ampla in hâc Urbe negotiatio, opifices boni & multi, Vini, fructuum, leguminum & olerum vis magna; frumenti penuriæ circumjacentis loca affatim occurrunt. Utrinque cincta urbs duobus fluminibus, quæ mox in mare ſe recipiunt. Ab Ortu accedit Beſons, Melæ Betullus dictus. Ab Occaſu Rubricatum, vel Lobregat. Ex monte præcipiti & excelſo, urbi vicino ſine intermiſſione lapides excidun-

ciduntur, nec tamen lapidum penuria animadvertitur: Monyvi nomen ipſi eſt. *Hieronymus Paulus in peculiari quem de hâc urbe ſcripſit, libello*. ambitum urbis 25. Stadiis circumſcribit, & magnitudine ipſam Neopoli in Italiâ reſpondere, tot autem incolis & peregrinis refertam non eſſe ait. Incolis tamen frequens egregiis vitris, pileis, & cultris ab opificibus ſuis factis nobilitatur. Vide *Johannes de Laet. Caſp. Ens in delic. apod. pag.* 36. *Braunium de Urbibus, & alios plures*, qui de Hiſpanicis Urbibus ſcripſerunt. Academiâ & Epiſcopatu inſignis, incolarum humanitate, quam peregrinis exhibent, & fœminini ſexus pulchritudine nobilitatur. Noſtri anno 1617. *Ducem de Alburquerque* Proregem cum uxore ſuâ curru deambulatum prodeuntem viderunt. Præibant ſatellites Caſtiliani bipennibus armati & coloris cœrulei palliis, quæ fimbriis rubris & albis ornata erant. Unius anni ſpacio territorium urbem ambiens à latrociniis tutum præſtitit. Catalaunis etiam dicentibus, privilegio ſibi conceſſo ſe à quæſtione, & eculeo immunes eſſe, eos in propriâ ſuâ domo quæſtioni ſubjiciendos, & torquendos curavit, dicens, ſe Regem eſſe: Sententiam autem latam Senatui miſit, mandans,

ut

ut illam exequentur. Ita 27. uno die ſuſpenſi ſunt: Ipſe verò à meridie in Urbem curru vectus, ut videret, an ſententiæ ſatisfactum eſſet. Palatium ejus in Urbe non magni eſt momenti, nec in Templo multa viſu digna. Nobilium ædes, la caſa de deputacione ex lapide quadrato marmoreis columnis ornantur. Supra ad ſiniſtram fons ſaliens, ac proxime atrium pulchrum, cum tabulato admodum elegante, & deaurato, ac porticibus aut ambulacris ad ſedendum & deambulandum commodis, in quo *Noſtri* reculas ſuas viſendas exhibuerunt. Latera ſtatuas oſtendunt omnium Barcellonæ Comitum, uſque ad præſentem Hiſpaniæ Regem. Qui Barcellonæ Comes eſſe vult, ſe ipſum Barcellonæ exhibere debet. Adveniente ipſo, portæ clauduntur, & puer veſtibus angelum mentiens, & clavem auream manu tenens ex mœnibus demittitur, qui Regem rogat, Cujus nomine, & quâ occaſione adventaret; eique reſpondenti, quod veniret, ut Rex Caſtellæ, & Dominus Biſcajæ, clavem tradit. Eo facto porta aperitur. An hæc conſuetudo adhuc vigeat, aut, ut illa in Carinthia, abrogata ſit, dicere nequeo. Porrò uno in loco ſpectantur la caſa de las armas, ſive armamentarium aliquot
mil-

mille haſtis & ſclopetis inſtructum: Domus, ubi omnia, quæ venduntur, & emuntur ponderari ſolent: La Lonia, ſive Burſa, aut Domus Mercatoria, in quâ mercatores proprium judicem habent, & Cæſar *Carolus V.* cum aquilâ Imperiali, & ſuperius Principes Cataloniæ, & Barcelonæ Comites ſtatuis ſuis repræſentantur. Ferè in extremâ Urbis parte verſus mare amplum & ſpacioſum ædificium triremibus ædificandis deſtinatum eſt. Prætoria triremis 80. paſſus longa, triginta duo tranſtra numerat, & 1600. homines capit. Propugnaculum cum aliquot tormentis bellicis mari obverſum diſcedentes, in portâ in *S. Raymundi* honorem cuſtodibus aliquid dare debent.

vi. Kal. Quintil. hora 3. pomeridiana Noſtri diſcedentes priſtinâ viâ 4. Milliarium repetita manſerunt in oppidulo Martorel.

v. Kal. Jul. per pontem ad dextram ſe vertebant, ubi ſenſim terrâ in altitudinem ſe attollit, in aliquot pagos, & oppidulum Bergeram lanificio celebrem incidentes duobus milliaribus confectis attigerunt ſcopulum ſive montem, unde altitudine unius milliaris horrendâ ſuperatâ ſubſtiterunt in Monaſterio

41. *Mont-*

41. *Montſerrate* quod ſeptem milliarium diſtantia urbe Barcellona abeſt. *Ambroſius de Salazar pag.* 381. Barcelonâ Molin de Rech uſque, qui locus in *Caroli V.* hiſtoria & vita Molin de Re nominatur, 2. hinc Martorellum 2. ab hoc Eſparragueram 1. Eſparraguera Colbatum 1. & Colbato Montſerrattam 1. milliaria numerat, quæ etiam 7. mill. conficiunt. Scopulus dictus, *Authore Noſtro* referente, faſtigio ſuo milliaria duo,& circuitu 4. complectitur. Loco celebritatem incredibilem conciliat *D.Virginis* imago quotidianis miraculis, ut ferunt,admirabilis. Hinc magnæ peregrinationes Religionis ergò ex omnibus Chriſtiani Orbis Regionibus hujus imaginis viſitandæ cauſa ſuſcipiuntur, adeò ut nemo Compoſtellam ad *S. Jacobum* ſalutandum proficiſcatur, qui ſe etiam huc non conferat. Loci deſcriptionem vide apud *Nonium cap.* 87. & *Lanſium in orat. contra Hiſpaniam pag.* 498. *Authore Noſter* porrò dicit. In excelſitate eremitarum cellæ 13. ſunt. Hiſpanis Celdas de 13. hermitannos dictæ, Unum in hoc loco diverſorium, cui adjuncta crux; à quâ ad centum paſſus alia, & ſic deinceps, ut octo inter diverſorium & templum interſint. Ante hoc templum aliud

pri-

primi eremitæ, tunc temporis vacuum. Monaſterium & templum muris incluſa. Introitum in monaſterium inferiorem urſus junior quaſi cuſtodit, ut & alius ſenior ſuperioris partis quaſi cuſtos eſt. In cœnobium ingredientes, quas reculas ſecum habent tradunt, in peculiari domo cuſtodiendæ. In introitu cernuntur multæ catenæ, aliaque inſtrumenta, & picturæ, miraculorum ibidem factorum indicia. *D. Virgo* manu tenet infantulum ſerram habentem, quo ſcopulum ſecat, quia in montis antro quodam, quod oſtenditur, *ita apparuiſſe dicitur.* Suprà introitum eſt Pharmacotheca. Hinc in templum vetus itur, multis picturis repletum, & monumenta quædam marmorea exhibens. Jeſuitarum Patriarcha etiam hic commoratus eſt, ut ſequentia verba parieti inſcripta indicium faciunt: *B. Ignatius à Lojola hic multa prece fletuque Deo ſe, Virginique devovit, hic tanquam armis ſpiritualibus ſacco ſe muniens pernoctavit: hinc ad ſocietatem Jeſu fundandam prodiit anno* 1522. Vide *Tom.* 3. *Bibliothec. Hiſpan. pag.* 610. Anno 1599. Imago hæc, *Rege Philippo III.* præſente ex hoc veteri templo in quo 711. annorum ſpacio miracula edidit, in novum tranſlata eſt, ſicut inſcriptio ſublimior

minor teſtatur. Ex veteri igitur in novum templum tranſitur. Structura pulchra altaribus deauratis pavimenta & tabulata lignea, & 3. organa habet. Ara ſumma, cui imago impoſita eſt, cancellis aureis cingitur. Inſcriptio autem hæc eſt: *Philippus III. Rex Catholicus Virgini Mariæ dicavit. Anno* 1606. Rex in templo depictus, ut & Regina Uxor ejus è regione. Suprà altare lampadum magnus numerus; *Nonius* 90. habet. Alium autem theſaurum etiam, habent in quo corona *D. Virginis*, nondum tunc temporis abſoluta, quæ auri millione, ſeu decem auri tonnis æſtimatur. Inhabitant Cœnobium monachi Ordinis *S. Benedicti* ex variis nationibus, qui cum miniſtris & familiâ totâ trecentarum perſonarum numerum implent, & tantum quater mille coronatorum aureorum annuos reditus habent, quamvis ſexaginta quidem aureorum millia quotannis expendere dicantur. Quicunque enim adventat tridui ſpaçio gratis vixit, dum ipſi de vino, pane, aqua, aceto, oleo, & lecto ſatis ſoline cite & affatim proſpicitur. 400. Aſinos & equos alunt ſuis uſibus inſervientes. Noſtris Comitum Barcelonæ cubiculum concedebatur, & panis, ac vinum cum coctis piſcibus dabantur. Ex templo, in

hor-

horrendo ſcopulo, per aliquot mille gradus aſcendebant in eremitarum cellam unam in quâ duo ſacella, camera, cella vinaria, hortus & fons ex ſcopulo ſcaturiens. *Nonius pag.* 275. Eremita ipſis panem & vinum porrigebat. Supra cœnobium ſcopulus eſt cum tribus crucibus, apud quam quotidie miſſa celebratur, & *D. Virgo* adoratur, ut templum conſervare & prohibere velit ne ſcopulus decidat. Nam fruſtum jam decidit, quod tamen nec cœnobio nec templo nocuit, ut *Author Noſter* refert. Sed Xenodochium damno affectum eſt, ut *Nonius* memorat. A meridie in ſcopulo Noſtri iter ſuum per quatuor horas promoventem in planitiem, & inde incultam terram pervenerunt, donec noctem illam commorandi cauſa intraverunt

Ignaiudam oppidulum, inter quod & Montſerrate 3. milliarium intercapedo intereſt. Apud alios hunc locum non invenio, forſan, qui itinerarium deſcripſit, hallucinatus eſt.

IV. Kal. Quintil. inter parvos montes rivo quodam perfluos via quidem incommoda ſed tamen amœna erat. Diſtrictui enim vini & frumenti proventus lætus haud exiguam pulchritudinem adjungebat. Plures ſolitarias domos prætervecti,

vecti, & quoſdam pagos tranſvecti hunc tractum populoſum eſſe conjiciebant. Meridie adibant parvum municipium

Hoſtaletes 4. mill. intervalla à priori oppidulo ſecedens. Ad quartam milliaris partem à municipio videbant caput cujuſdam ex latronibus iis, qui biennio ante invaſerant pecuniam mercatorum Genuenſium Barcelonam Madrito miſſam, & 166. curribus impoſitam, ex quibus 7. auro, cæteri argento onuſti fuerant. Ex latronibus 40. 21. capti ac ſupplicio affecti. Cæteros elapſos fortuna forſan in aliud tempus puniendos ſervavavit. Aliquot annis ante latro Gallus in eodem hoc loco 30. millia coronatorum rapuit, elapſus, ita ut ea adhuc tempeſtate incognitus latuerit. A meridie iterum per aliquot pagos vecti ſunt, ut & per urbem

Cerveram excelſo loco, & regiæ viæ Barcelonâ Sarragozam tendenti immiſſam. Antiquam faciem obtinens vicina eſt arci dirutæ, & cujuſdam Nobilis, qui latrones celavit. Proximum patibulum ejuſmodi latrone tunc ornatum erat. Ab hâc urbe milliare unum ipſos Tarragam, & aliud mill. inde per planum campum provehebat in urbem

Belpuch, ita ut totum pomeridianum

iter

iter faceret 4. milliaria ad quartam ab hoc oppidulo milliaris partem Franciſcanorum cœnobium non quidem ſplendidum, ſed tamen celebre Raymundum Cordonam fundatorem habet.

III. Kal. Jul. diſtrictum habebant plurimum, & pagos aliquot: in viâ vero multos cuniculos, & in nonnullis arboribus latrones ramis annexos, ac circa meridiem

Leridam. 5. fuit milliarium diſtantia, cui tamem *Salazarius* aſſignat. Leridæ olim Ilerdæ *Lucanus* & *Horatius* meminerunt. *Julius Cæſar* apud hanc urbem *Aſcanii* & *Petrei*, quos Legatos *Pompejus* habuit, exercitum delevit. *L. Marineus Siculus lib.* 10. Secundum *Nonium cap.* 84. in colle parvo ſenſim ſe in vallem declinante deſidens, adjecta eſt Sicori vel Segro, vel Segre flumini hic ripas ſuas committenti ponte, cujus tranſitum, Noſtri 4. denires pro viro & equo ſolventes redemerunt. Fluvius hic haud longè ſub hâc civitatè Cingam ingreſſus paulo inferius cum eodem in Iberum vel Ebrum præcipitatur. Mœnia lapidibus cæſis ſurgunt, & ædes in civitate ſic ſatis pulchræ. Academia Urbis pervetuſta fundationis originem à ſeculo decimo tertio repetit, Ejus ſtructura exilis eſt, exi-

exiles item reditus. Terra circumjecta oleum, frumentum, vinum, fructus, olera, legumina abunde ſufficit. Epiſcopale templum in urbis excelſiore parte ſtructurâ pulchrâ ſplendet. Magno lucro incolas ditant piſces, aliæque res ſimiles ſale aſperſæ: Adeoque felix hæc eſt civitas, ut nihil ferè ſit, de quo conqueri poſſit. Hyberno tantum tempore obſcurus & nebuloſus aër,& collis à Septentrione, de quo tormentis illis majoribus tangi poteſt, ipſi incommodant, ut *Mariana lib.* 3. *cap.* 18. *pag.* 106. commemorat.

Hinc per planum campum Itinere dimidio milliari ad pagum quendam promoto quidam montes ſe objiciebant Pyranæorum initia: ſub quibus lapis elatus Regnorum Cataloniæ & Aragoniæ fines dirimit.

42. Celeberrimum Aragoniæ Regnum propriis ſuis Regibus olim ſubjectum, ſecundum deſcriptionem *Boteri part.* 1. *delle relat. lib.* 1. In Ortu Cinga fluvio clauditur, & in Occaſu montibus Moncayo, vel Cauno, & Molina ferri fodinis divitibus ac celebribus. Quà in Septentrionem vergit, Iberus, & quà Meridiem ſpectat montes Brabanza ipſi fines ſunt. *Maginus* eam à Septentrione

Na-

Navarram, ab Occaſu Caſtiliam utramque, à Meridie Valentiæ Regnum & ab Ortu Cataloniam habere dicit. *Paulus Merula* ipſi hos terminos conſtituit; verſus plagam cœli inter Zephyrum & Aquilonem Navarræ Regnum; verſus Euro-Auſtrum Cataloniam: verſus Zephyrum Caſtiliam, & verſus Euro-Aquilonem montes Pyrenæos. Maximam partem ſicca & aſpera eſt Regio, præcipuè ubi in Pyrenæos montes incurrit. Hinc ſæpius in tractibus ſatis prolixis nulla habitacula reperiuntur, quamvis ſparſim valles ſe offerant, quæ aquis rigatæ frumentum & fructus ferendo fertilitatem ſuam loquuntur. Nomen ipſi natum vel à fluvio Aragone, propè Iaccam fluente, ut *Marianæ lib.* 7. *c.* 4. placet, vel à Tarraconenſibus, ut *Anton. Nebriſſenſis.*, & ex eo *Johannis Vaſæus in Chr. Hiſpan. cap.* 18. *in princip.* ſtatuunt. Pedetentim autem fines ſuos olim anguſtiores explicans, & principatus Sobrarviæ, vel Sobrarbæ & Ripargoziæ iis includens Regnum evaſit. Quâ ratione autem Caſtellæ tandem ſubditum ſit, in fine 1. capitis dictum eſt. De politico Aragoniæ regimine 5. *cap. Johannes de Laet pag* 116. *& ſeqq. in deſcriptione Hiſp.* legi poteſt. De Aragoniæ autem rebus conſulantur

Ro-

Roder. Sanctius part. 1. *Hiſtor. Hiſpan. cap.* 13. *L. Marinæus Siculus, & Mariana in dictis locis. Aubertus Miræus in Chron. ſuo* Regem *Petrum* hoc Regnum anno 1204. Papæ eo pacto ſubjeciſſe, ut ipſi quotannis certa pecuniæ ſumma ex eo ſolvenda eſſet. Quoad incolas Caſtellanis certe parum favent: Non tamen reprehenſione carent, quandoquidem vulgari proverbio in Hiſpaniâ Aragonenſis appellatur, qui malus eſt. Regnum hoc, ut & Algarbiæ, ac Scotiæ inter minima numerantur, quanquam Aragonia adhuc alia regna comprehendat, ut in 1. *cap.* monuimus. Imo Aragoniam ſi ſolam ſumas, habet & ipſa præter Saragozam metropolin alias etiam urbes haud contemnendas, cum 70. loca muris cincta numerare dicatur: inter quas Venaſca, Balbaſtro, Gurrea, vel Forum Gallorum, & Albarazzin, quæ poſtrema civitas Lobetum & Turiam antiqua nomina ſua agnoſcens à Naturâ colli injecta & probè munita eſt. De hoc Albarucino vide *Marianam lib.* 10. *cap.* 4: *ut & aliis in locis.* Hueſca olim Oſca Epiſcopatu, & Academiâ pervetuſta nobilis, cum *Q. Sertorius* olim hic ludum aperiendum curaverit, ut ex *Plutarcho Merula cap.* 14. & *Nonius cap.* 84. docent. Horum

O po-

poſterior tamen civitatem dictam ad Cataloniam refert, & *S. Laurentium* cum fratre *S. Orontio* hinc oriundum fuiſſe ait. Porro in hoc Regno ſunt Jaca vel Jacca· Agrada haud contemnenda Urbs; Monſonium, vel Monçon, in quâ certis annis magna Comitia à quibuſdam Hiſpaniæ Regnis celebrari ſolent; Calatajud, vel Calatajuta dimidio milliari à vetuſtâ urbe Bilbili, quæ *Martialis Poëtæ* patria fuit. Vide ipſe *Martialis l.1. Epigr.* 62. Quam novam civitatem Mauri extruxerunt. Hodierno tempore una ex præcipuis Aragoniæ civitatibus Tarazone Epiſcopo parens, in ſolo fertilitate inſigni à naturâ dotato, & frumentum, vinum, oleum, arboreſque omnigenas producente, opificibus ingenioſis ac ſolertibus abundat, vallemque occupat in ripâ fluvii Salonis in quem Cogedus amnis Bovierċam præterlabens ſe ingerit. Tervel Epiſcopum, opulentos incolas & commercia habet. Tarazona vel Turiaſſo civitas, teſte *Nonio cap.* 76. in Caſtiliæ finibus monti Cauno, incolis Moncayo appellato, vicina, multis ab annis ſedes Epiſcopalis, & fertilitatis miræ ſolo luxurians, ubi parvo quis vivere poteſt. Vide *Johannes de Laet pag.* 12. Reliquorum hujus Regni locorum nonnullorum deſcriptio

ptio in ſequentibus datur. Nonnulli Leridam, & *Merula* urbem Urgel juris Aragonici eſſe contendunt, quas tamen alii Cataloniæ membra eſſe volunt.

Sed ad Noſtrorum viam nos recipiamus, quæ ipſos per vaſtas & incultas terras cum ferâ nocte ad vexit

Fragam. trium magnorum milliarium interſtitio Leridâ diſſitam. Prima in hoc Aragoniæ tractu civitas elato ſitu accumbens Cingæ fluvio, qui *Merulæ* eſt Gallego. Olim Gallicæ Flaviæ nomen audivit, cui antiquitates ſuæ hodiernæ vetuſtatis teſtimonium perhibent. Trigintahomines hic aluntur, qui quotidie vias equis percurrentes operam dant, ut ſecuræ & tutæ maneant. Crocus in Urbanis hortis frequens. Quicquid ſoli extra urbem longius expatiatur, vaſtum & deſertum eſt. Noſtris pontem tranſituris pro homine & equo 6. denires numerandi erant. Catalonici denires hic non admittuntur, ſed Aragoniæ numiſmata incipiunt. Cuſtodibus 4. reales dabant. *Joh. Mariana lib.* 10. *de reb. Hiſp. cap.* 15. tradit; fluvio Binga acceſſum ad hunc locum difficilem reddi, ſi quis à fronte eum adoriri vellet: à tergo autem amœnos colles impedire, quo minus tormenta bellica admoveantur. Vide, quæ plura ibidem & aliis

in locis, de hâc Urbe ejuſque obſidione dicat.

Prid. Kal. Jul. nil niſi lapidoſam viam habebant, unde hic tractus Aragoniæ deſertum audit, cum nec frumentum, nec quid aliud ferat, & perpetuis ventorum flatibus pervius ſit. Duos pagos pervadentes meridianum tempus triverunt in pago vili

Burialajos, Fraga 7. milliaribus remoto. Hinc ob nimium calorem horâ demum 4. pomeridianâ itineri conſueto inſiſtentes moleſto deſerto relicto nocte mediâ intromiſſi ſunt in oppidulum

Oſſeram à priori pago 6. milliarium ſpacio diſſidentem: Salazarius 4. tantum habet.

Kal. Julii hora noctis 2: hinc diſceſſionem facientes, poſt 4. milliarium viam recepti ſunt in oppidulum

Pueblam, excelſo caſtello additum in territorio ſatis culto. Pontone Galego flumen trajicientibus pro unâ perſonâ 4. denires expendendi erant. Per hortos porrò equitantibus poſt duo milliaria ſe in conſpectum dabat

42. *Saragoza*, vel *Saragoſſa* Hiſpanis Caragoça. Milliarium Valencia huc ducentium ſumma eſt 96. Atragoniæ, vel ut plurimi ſcribunt Aragoniæ metropolis

Sa-

Saragoza, aliâs Cæſar Auguſta appellabatur. Vide *Hieronymus Surita in notis ad Itinerarium Antonini.* In campo amplo ſedem habens Iberi vel Ebri fluctibus rigatur: de hâc urbe *Nonius cap.* 81. Si ſoli fertilitas, ſitus amœnitas, & Urbis pulcra & elegantia ædificia conſideratione debitâ inſpiciantur, nihil reperiri poſſe, quod in hâc urbe deſiderari queat. Quantum ad ædes plæraſque lateribus coctis extructas attinet, pulchritudine profecto & elegantia nulli in Hiſpaniâ civitati cedit. Plateis latis & apertis ædes disjungit plærasque cocto lapide ſurgentes. 17. magna templa, & 14. monaſteria numerat; *Merula part.* 1. *Coſmogr. lib.* 2. *cap.* 14. quatuor eam portis claudi, validiſſimis muris cingi, plurimis turribus ornari, extrà muros tot ædibus repleri, ut quaſi alia civitas eſſe videatur, nobilibus item plurimis, & viris doctis (cum Academiam habeat) ac mercatoribus, & opificibus plurimis abundare ſcribit. Ex *Authore noſtro* hæc habemus. Arragoniæ Reges hic coronati ſunt, ubi Gallego fluvius in Iberum undas ſuas exonerat. Planitiei inſidens civitas ſalubri, & non ità calido, ut cæteræ civitates Hiſpaniæ, aëre fruitur, ac ob plateas latas, & amœnitatem ambientem omnium pulcherrima

judicatur, ac trium milliarium ambitu circumcircà hortos frequentiſſimos, & amœniſſimos extendit. Figura & ſitu ſuo à calceo equi ferrato haud multum abludit. Proprio ſuo jure gaudent, à Proregis juriſdictione ſeparatam, habet rectionem ſuis propriis conſulibus concreditam, qui & peculiarem ſuum carcerem habent à regio ſejunctum. Vide *Johannes de Laet in deſcriptione Hiſp. pag.* 116. *ſeqq.* Privilegiis inſignibus dotata fuit, quæ Rex *Philippus II.* diminuit. Magnificâ ſtructurâ ſurgens domus Senatoria tunc temporis portæ ſuæ affixas oſtendebat tres aut quatuor manus illorum qui, ut ſupra diximus, theſaurum diripuerunt. Eam ſequitur Nobilium Domus, la caſa de la Deputacion, ædificium haud contemnendum, ſpatioſo, & quadrato atrio inferius circumcinctum, in cujus porticu ſeu ambulacro tecto libri varii, ac variæ imagines ære expreſſæ venduntur. Superius pulchrum habet triclinium non quidem amplum, ſed tamen Arragoniæ Regum effigiebus virilem ſtaturam æquantibus exornatum, quibus adjuncta eſt rerum à quovis geſtarum brevis commemoratio Latina. Inter eas effigies erat etjam una mulieris unius, *Petronellæ* nimirum, *Ramiri* Arragoniæ Regis filiæ uni-

unicæ, quæ Berengario Barcellonæ Comiti nupta fuit, & Arragoniæ Regnum dotem attulit. Hæc anno 1173. vivere deſinens filios duos reliquit; *Alphonſum* ex hâc proſapiâ primum Arragoniæ Regem Barcellonæ Comitem, & Catalòniæ Principem, ac *Sanctium* Roncighonis & Ceritanæ Comitem. Vide *L. Marin. Siculus in fin. lib.* 8. *item libro* 9. *&* 10. *& I. Mariana lib.* 11 *cap.* 1. *&* 11. *& alibi.* In altero cœnaculi fine cernitur Eques *S. Georgius* Regni Hiſpaniæ patronus cum ſubjecto Dracone ex albo marmore, opus præſtans, & ſummo artificio elaboratum. In altero fine *Chriſtus* cruci affixus oſtenditur opere ex ſerico confecto, cui *S. Franciſcus*, & *S. Hieronymus* adjuncti. Prorex in palatio ſuo vinum venale exponit: Palatium ipſum in platea eſt latâ, quæ pulcherrima cæterarum Hiſpaniæ urbium plateis pulchris anteponitur, ut la Calle ſanta, id eſt, platea Sancta nuncupatur, nominis occaſione inde nata, quod multi Chriſtiani ab infidelibus, in eâ occiſi dicantur. Cruci in eâdem plateâ inſcripti ſunt hi verſus:

Hic locus effuſi, quem Gratia virgo ſacravit
Sanguine, cum ſociis martyribuſque piis.

Cæterum Civitas hæc proprium Epiſcopum habet, Epiſcopatuique tunc præerat Regis *Phil.III.* frater nothus, qui Franciſcani Ordinis ipſius vultum exactiſſimè referebat, ut *Author noſter* tradit. Templum Cathedrale, ædificium pervetuſtũ choro ornatur ex albo marmore concinnato; Ante quem lapide marmoreo tegitur primus hæreticę pravitatis Inquiſitor. Supra eum duabus columnis appenſi ſpectantur ſex Mauri. Inter Monaſteria ſpectatu dignum eminet Franciſcanum, ut & Hieronymianum, ad cujus introitum porta marmoreis poſtibus fulget. Sacellum ſub templo columnis innixum ſepulchra continere fertur plurimorum Martyrum, ac in medio mulieris cujuſdam monumẽtum, quæ corbem ovis repletum in forum civitatis portatura in manus infidelium cum liberis ſuis incidens occiſa eſt. Ante paucos annos incorruptam adhuc fuiſſe ajunt. Monachi Sanctorum reliquias nonnullas tunc temporis altari imponebant. Inter eas erat argento incluſum caput, & lapidibus pretioſis ornatum monile *S. Engratiæ* vel *Encratis*, filiæ Luſitani alicujus magnæ notæ Domini, quæ ſub *Diocletiano* Cæſare ab ejus præfecto *Daciano* in hâc civitate mortis ſupplicio affecta eſt. Vide *Pruden-*

dentius in lib. de coronis, hym. 4. *pag.* 89. Noſtris peregrinatoribus iidem monachi poſtea monſtrabant capita *S. Luperci*, & *S. Lamberti*, ruſtici cujuſdam, & ruſticorum Patroni, argento etiam circundata. Item vaſa aliquot ſanguinem & cineres Martyrum collectos continentia, ut & clavum capiti *S. Engratiæ* impactum. In templi autem dicti periſtylio pulcherrimo Maurorum eſt architectura, & ſupra illam Bibliotheca. Tertium Templum Nueſtra Sennora del Pilar multis & miris miraculis famoſum, de quo referunt, *Jacobum* apoſtolum, cum in hanc urbem veniſſet, & vix tres aut quatuor perſonas ad Chriſtianam Religionem convertere potuiſſet, *S. Mariæ* auxilium imploraſſe, quæ ipſi apparens ſe in columnam demiſerit, & effecerit, ut mox multi homines Chriſtianam Religionem profeſſi ſint. *L. Nonius cap.* 28. *p.* 254. aliâ commemoratione rem enarrat, qui inſpici poteſt. Columna ipſa adhuc hodierno die extra ſacellum, in quo Beatæ Virginis imago cernitur, in ipſo templo cuſtoditur. Ferro cinctā ajunt jucundum odorem ſpirare, quem tamen noſtri Germani (forſan non adeo ſubtili olfactu præditi) animadvertere non poterant, ut *Author Noſter* recitat. In Sacello au-

autem *S.S.Virginis* imago margaritis pretioſis ornata, & rubra veſte induta ſatis parvum caput oſtendit, & columnæ cubitum altæ ac holoſerico obductæ inſiſtit. Aliquot angelorum illam ex argento quiſque candelam manu tenet: apud quos plurimæ lampades argenteæ appenſæ ſunt. In introitu urbem verſus magnum ſacellum laqueari roſis deauratis ornato, & pariete cui Magnificat, ut vocant, aureis litteris inſcriptum, ſuperbit. Proxime urbis portam ad mœnia templum eſt Nueſtra Sennora del Portillo, *in quo cruci affixæ ſtatuæ* ungues creſcere creduntur. Poſt illud caſtellum lapideum octodecim tormentis æneis, & octoginta militibus defenditur. Apud Dominicanos hæc verba leguntur: *Deus omnia ſubjecit S. Raymundo.* Præcipuæ notæ Xenodochium nominatur Hoſpital real, y General de Nueſtra Sennora de gracia. Turris ab omnibus ædificiis aliis libera ab equis conſcendi poteſt, & 248. gradibus in altum aſſurgit. Academia haud magni momenti collegiis gaudet. Duo pontes Iberum tegunt, unus lapideus, alter ligneus: ille Ratisbonenſi ſimilis quem ne corrumpatur, curribus tranſire vetitum eſt. De hâc civitate qui plura ſcire expetit, *Nonium* conſulat.

Cum

Cum noſtri viatores moniti eſſent ut pecuniam ſuam auream argenteâ mutarent, id fecerunt, & commeatus liberi ſchedulam ſibi compararunt, cum alio ductore viro ſatis bono tranſigentes, à quo Narbonam in Galliam deducerentur. Novem autem pro quâvis perſonâ ducatorum ſolutionem paciſcebantur. Priore ductore domum dimiſſo, ſeptem numero itineri ſe accinxerunt, quibus

v. Non. Quintil. ſerò *Saragoza* digreſſis, poſtquam oppidulum Villa mayor tranſiiſſent, regio deſerta & ſterilis ſe iterum offerebat, ubi tamen nonnullos ovium & caprarum greges ex paſcuis domum actos obvios habuere. Hora 9. noctis vicum quendam porrò permeantes hora 10. in ſolitarium hoſpitium ſeu Ventam, ut Hiſpani nominant, excelſo loco impoſitum ſe receperunt. Nobilitant locum peregrini Religionis ergo ad eum confluentes, & *Sanctæ Mariæ* imaginem miraculis multis celebrem viſitantes. *Maria* de Magalon en los montes de Lecinena nuncupari, *Author noſter* ſcribit, quem tamen titulum apud alios non reperio, eâ de causâ ambigens, an, qui deſcripſit, in deſcriptione hallucinatus non ſit. Pro ſeptem perſonis totidemque equis commoditatem hic commorandi &

dentem, quod nomen in vulgaribus typis chorographicis etiam,ſed in impreſſis libris non reperitur. Forſan eſt Gurrea inter Saragozam & Pyrenæos montes ſitum habens. *Author noſter* oppidulum hoc locat in dict. fluminis Sinco ripa, ubi lapideus pons viatoribus tranſitum concedit. Ros, ex quo Balſamum Hiſpanicum conficitur, hoc loco colligi fertur. Ob nimium calorem horâ 5. pomeridianâ demum hinc abeuntes, & ut ante flumen ſequuti ſpacio nonniſi duorum milliarium confecto ſubſiſtebant in Municipio

Sanguile.

Prid. Non. Quint. perveniebant ad montes Pyrenæos, horribili, anguſta, & lapidoſa via, quæ nonniſi uni aſino tranſitum concedebat, eos ducente. Ex ſummitate in dictum fluvium Sinco vel Cingam horrendi ſtrepitu ſcopulos perſtrepentem reſpiciebant. Itineris periculum augebat tempeſtas pluvia tonitru mixta. Oppidulum, cui nomen el Campo, poſtquam permeaſſent, plures pontes modo hic, modo illic fluvium ſternentes, ac ſemel etiam ipſe fluvius ipſis tranſeundus erat, donec in vicum quendam Ceram nuncupatum pervenirent. Pomeridiano tempore ad altiora montium

um delati, cum vicum quendam attingerent, inde per periculoſiſſimam viam hyberno tempore nemini perviam major altitudo ſuperanda reſtabat. Poſt milliare unum ipſis in conſpectum veniebat Vallis amœna & fertilis, vicis, pagis & oppidulis pluribus referta. 4. Milliarium ſpatio finito ſerotinum tempus ipſos quieſcere juſſit in urbe

Venaſque vel *Venaſca*, in *Aragoniæ Regno*, ejuſque parte eâ, quæ Ripagorzia, vel Ripagorſa, aut Ribagorzia vocatur; de cujus Dominis *Hieronymus Blancas* legatur. In finibus ſita hæc civitas caſtello pulchro quidem, ſed tamen non uſque adeò forti, & 36. militum præſidio tuto, tranſitum cuſtodit. Præfectus viatores Germanos admodum humaniter excepit. In caſtelli muris multi lapides jacent, nulla autem tormenta ænea cernuntur. In hâc civitate vinum nobile & delicatas auratas ſive truttas nacti, & genio indulgentes Hiſpaniæ valedixerunt.

Nonis Quintil. Hiſpanis comitantibus juxta Flumen Sinco pergentes, & ingentes arbores, ex quibus navium mali conficiuntur, paſſim cernentes, poſt duo milliaria confecta in Ventâ quâdam Hoſpitaled appellata tamdiu morobantur, donec

donec viginti quatuor numero eſſent. Montes ergo confragoſos, & aſpectu horrendos conſcendere incipiebant, in viâ multum nivis adhuc offendentes, quæ hyberno tempore impedit, quominus viatores iter facere queant. Tandem trium milliarium intervallo permeato aderat ipſis Porto, vel puerto tranſitus naturæ beneficio munitiſſimus, & ad exercitum aliquem grandem parva admodum manu remorandum maximè idoneus. Medius inter oppoſitos duos ſcopulos, in quorum uno crux conſpicitur. In Galliam inde deſpicientibus deſcenſus impoſſibilis videtur. Viâ nullâ per montem, niſi quam manuum humanarum laborioſâ induſtriâ excidit. Noſtris ex equis deſcendentibus per nivem eundum erat. Hic terminus eſt Galliæ & Hiſpaniæ, quamvis Hiſpaniæ Rex ulterius, & quidem in altero latere adhuc regionem quandam parvam ſexaginta pagis refertam poſſidere feratur, præfecti cujuſdam rectioni commiſſam, quem ajunt in munimento Caſtlilo de Leon habitantem, tam abſolutam habere poteſtatem, ut non cogatur litteris per nuntios in aulam miſſos quærere, quid ſibi faciendum ſit, ut *Author Noſter* ſcribit. Hunc tamen locum Caſtillo de Leon non reperio, ſed

ali-

alium Caſtrolybiam Latinè appellatum, quem *Mariana lib.6. cap. 12. pag. 235, b.* Ceretanorum in his oris habitantium caput eſſe ait. Regio ipſa Cerdaniæ Comitatus nomine inſignitus Cataloniæ, quâ Galliam tangit, pars eſſe perhibetur, ut *Ambroſius Morales lib. 8. cap. 2.* tradit. De Ceretanis 50. *L. Nonii caput.* conſule. Poſtquam *Noſtri* duas horas pedibus eundo contriviſſent, ad hoſpitium ſolitarium Hoſpital de France nuncupatum pervenientes tribus realibus ſolutis vectigal redemerunt. Hinc cum ſecunda Garumna, vel Garumne, fluvio illo Galliæ celeberrimo, in hiſce locis ex fontibus ſuis erumpente, per pulchram ſylvam proficiſcebantur. Pyrenæorum enim montium latus hoc Galliæ obverſum alterum Hiſpaniam aſpectans amœnitate longè antecellit. Arbores grandes, & cum radicibus paſſim evulſæ jacentes ventorum & tempeſtatum ingentem in hoc tractu violentiam loquebantur. Tandem quinque milliaribus abſolutis adventantibus pernoctandi facultatem concedebat municipium

Bagueres, in Comitatu Comminges, Latinè Commingia, & Convenarum Comitatu, qui Gallici juris eſt. Conterminus eſt verſus ortum Comitatui de Foix;

ver-

verſus Aquilonem parti provinciæ Languedocq, & Comitatibus de l'Iſle, & de Gaures; verſus Meridiem montibus Pyrenæis, & verſus occaſum regioni d'Eſtrac, & Comitatui Armaignac. In Superiorem & Inferiorem dividitur: Superior Commingia civitates habet S. Bertrand, & S. Coeſtrans, quarum hæc poſterior alio refertur; Item S. Beat, S. Fregeou, Montegeau, Saliens, & alias. In Inferiori Commingia ſunt nova illa civitas Epiſcopalis Lombes; & urbes Samathan, l'Iſle en Dodon, Muret, Riuſnes, & municipia plurima. Totius Regionis primaria civitas *S. Bertrand*, vel *S. Bertrandi* Fanum locum occupavit veteris illius Lugduni Convenarum, vel Lyon de Comingeois anno 584. deleti. Vide *P. Merulam part. 2. Coſmogr. lib. 3. cap. 38. fol.* 450. Plura de hoc, ut & cæteris Comitatibus confinibus reſciſcere expetens Geographos legat, ut & *Franciſci de Rues Galliæ deſcriptionem fol.* 603. *& ſeqq.* Hujus Regionis incolæ primi eſſe perhibentur, qui ad Chriſtianam Religionem ſe receperunt. Frumenti, vini, fructuum & aliarum rerum admodum feracem perhibet ſæpe citatus *D.T.U.T. in magno ſuo commentario de omnibus hujus Orbis terrarum Regionibus & quidem Galliæ deſcri-*

ſcriptione pag. 75. *&* 89. qui etiam alio in loco tum maſculini quàm ſequioris ſexus incolas haud exiguis laudibus extollit, quamvis *Author Noſter* levitatis eos coarguat, & præterea dicat, multos ibidem homines reperiri, qui ſtrumis laborent, ac linguam ipſorum cum Hiſpanicâ plus quam cum Gallicâ convenire.

Ex vico Baigneres noſtri Viatores in dictâ valle iter ſuam maturantes veſpertino tempore tria milliaria finiverant eâ nocte ſubſiſtentes in municipio

Siorpe, ubi ſapidis auratis in Garumnâ fluvio captis lautè vivebant.

VIII. *Id.* Quint. in eâdem *valle* pergentes, ac Garumnam 2. tealium ſolutione tranſmittentes indeque ad dextram converſi inter pulchros arbores profectionem ſuam promovebant in municipium

Encauſtæ, poſtquam 4. milliarium iter finiviſſent. Montibus ſeptum thermus habet lapideo alveo incluſas, ac ſulphuræ mixtas, quas Hiſpani præcipuè frequentant. Calculo mederi creditur, ut ex libello Tholoſæ de his thermis in lucem edito patet. Pomeridiano itinere inde tendebant per vallem eandem multis pagis, municipiis, & nobilium domiciliis plenam, & poſt milliare tertium apud

pud viçum For Garumnam pontone tranſmittebant duodecim ſouls pro vecturâ ſolventes. Hoc in loco tractus montano deſinente, percampeſtrem planitiem veniebant in oppidum

Martyres Tholoſams, quod à priore loco 4. milliaribus abeſt.

VII. Id. Quint. in eâdem planitie iter facientibus arx pulchra in conſpectum prodibat. Vineæ ſunt frequentes & ficuum copia inſignis paſſim cernitur. 4. milliaribus finitis in pago quodam prandium ſumebant. A meridie reſidua itineris milliaria 4. poſtquam per dictam planitiem profecti confeciſſent

Tholoſæ pernoctarunt, ac inde Carcaſſonam, & Narbonam ſe recipientes porrò Lugdunum petierunt, de quibus locis in itinerario meo Gallico actum eſt.

Atque hoc eſt iter illud egregium, & ſatis longinquum, quod Nobiles noſtri Germani anno 1617, fecerunt, & nemo adhuc quantum quidem mihi, & aliis amicis notum eſt, in lucem hactenus edidit, ſicut etiam in ejuſdem initio ſuperius monuimus.

C A-

CAPUT. III. Et Ultimûm.

De Nonnullis aliis per Hiſpaniam itineribus.

ARGUMENTA.

1. De Gironâ urbe.
2. De Perpignano munimento, & civitate in finibus Hiſpaniæ ſita, & de urbe Salſas.
3. De Regno Navarræ, & Comitatu Bigorre
4. De S. Juan de pie di porto; & Pompelonâ Navarræi Regni urbe primariâ.
5. De civitatibus Fuentarabia. & Logronno.
6. De Regno & urbe Legione.
7. De Urbe Aſtorga & Regione Aſturiâ.
8. De Urbe Compoſtellâ Galliciæ metropoli.
9. De Galliciæ Regno.

Quoniam præter loca & regiones in præcedenti itinere & capite deſcripta, adhuc aliquot alia ſunt haud parvæ notæ in Hiſpaniâ, eorum cauſa adhuc ſequentes peregrinationes præcedenti ſubjungere nobis conſultum viſum fuit.

I.

Primum Iter Barcelonâ recto tramite Narbonam in Galliam ducens.

HOc iter præter cæteris Hiſpani Romam ituri frequentant. Tertius in Hiſpaniam eſt aditus, ex quatuor, quorum 1. c. meminimus, Lo-

Loca cum diſtantiis ſuis inter Barcelonam, præcedenti capite deſcriptam, & Narbonam ita ſe habent.

Moncada 2. mill. de hoc loco vide *J. Marianam lib.* 10. *in fine* 16. *cap.* & *lib.* 12. *cap.* 10.

La Rocca 2. *mill.*

Linas 1 ½ *mill.*

S. Celonii vel S. Sillon 2. *mill.*

Aſtarlid 2. *mill.*

1. *Girona* 5. *mill.* Hæc urbs *Gerunda* olim, & *Auſſeranorum* caput in Cataloniæ Regno collis parvi apicem occupat, & veteri muro ſepta trianguli figuram ſitu refert. Undam fluvium, Onhar incolis, eam ſecare, & alium Ter iiſdem appellatum, qui foſſas urbis ingreditur, recipere invenio, ac inde ſatis munitum locum eſſe conjicio. Frequenti apud *Johannem Marianam* mentione occurrens *cap.* 9. *lib.* 14. *pag.* 602. deſcribitur, ubi in ſitus ejus commemoratione unius tantum fluminis Theræ vel Thices meminit. Epiſcopalis Urbs aliquot obſidionibus vexata, etſi ambitu parvo clauditur, mercatoribus tamen & opificibus abundat, teſte *L. Nonio cap.* 89. qui de eleganti hujus loci templo, & *S. Felicis* ac *Narciſſi* reliquiis legi poteſt.

Baſcaras 3. *mill.*

Figu-

Figueras, 2. mill. Hujus oppiduli mentio fit apud *Marianum dicti loci pag.* 601. In vicinia eſt urbs Ampurias vel Emporiæ à dicto *Nonio cap.* 85. deſcripta.

Junquera 3. mill. apud Geographos & in *Jacobi Lopidis Stunicæ itinerario* Juncaria nuncupata ſub Pyrenæis montibus ſitum habet.

Pertus, vel ut alii *Portus*, 1. mill. *Antonius Beuterus in Chron. Hiſp. cap. pag.* 66. *edit. Venet. anno.* 1556. hic caſtellum, præſidio firmo munitum, eſſe affirmat.

Elbolo 1. *mill.* Per viam aſperam & præcipitem montes dictos tranſeuntem Junguerâ Bolonem, quæ urbs in altero montium latere loco plano inſidet, tranſiri *Stunica* citatus tradit.

Perpinnan. 3. *mill.* ut *Ambroſ. de Salazar. p.* 185, *b.* hanc diſtantiam metitur, quem ego ſequor, licet *Vulgare Itinerarium* Gallicum milliaria aliter numerans diſtantiæ inter Barcelonam & Perpinianum 34. mill. aſcribat, & forſan Gallica Hiſpanicis aliquanto longiora intelligat. Cum utroque non convenit quoque *Caſparus Ens in deliciis apodem. Nonio* authore Perpinianum tribus milliaribus trans montes ſitum eſt. In Comitatu Roſſillon, & finibus Gallicam & Hiſpanicam diſter-

diſterminantibus poſita Cataloniæ Regno hoc tempore accenſetur, ut ſuprà *cap.* 2. diximus. *Boterus* (ut ab aliis citatur, nam hoc in Ferrarienſi editione non invenio) quingentis annis vetuſtiorem non eſſe, & ferè 4000. focos numerare; ac vix ſimilem in totá Cataloniá, Barcelonam ſi excipias, reperiri ait. *Johanne Mariana teſte lib. cap.* 7. *Guinardi Comitis* de Ronciglione, vel Roſſillon auxilio anno 1098. condita eſt. *Nonius cap.* 91. in planitie eam locat, & quà Meridiem reſpicit, ac caſtellum habet, aliquantum ſe in altum ſubducere dicit. Fluvio Theli alluitur. Poſt ultimam obſidionem Gallorum anni 1543. mœnia ejus admodum valida reddita, aliquot propugnaculis ab incolis munita ſunt. Caſtellum autem adjunctum cæteris omnibus in Hiſpaniâ præſtat. Pulchra eſt civitas, & inter Hiſpaniæ amœniſſimas numeratur, aëre tamen inſtabiliori, & ex leviſſimis cauſis ſe mutante, ac ventis turbido fruens. Pannorum multorum confectione celebris, multos incolas habet, qui eiſdem parandas operam dant. Supra dictus *Stunica* refert; Solum circumjacens frumenti, vini, & olei ferax eſſe, ipſamque urbem duobus tantum à mari milliaribus abeſſe: Situm ejus ad ortum ſe con-

convertere, Caſtellum ad occaſum reſpicere, & dictum fluvium, cui vulgare nomen latet, ponte mille paſſus longo regi. In Prædicatorum Monachorum templo, ejuſque adyto inter alias Sanctorum reliquias etiam *Johannis Baptiſtæ* manum cum brachii parte ſervari. *Nonius* de S. Epiſcopi *Honorati* reliquiis in Carmelitarum cœnobio, & Sanctorum *Juliani*, & *Baſiliſſæ* corporibus ſcribit. Quæ narrationes de hâc civitate diverſæ ſunt. Ab eâ dimidii milliaris ſpacio remota jacent rudera urbis veteris Ruſcinonis. Hodie à turris Roſſilionis non procul Perpiniano nomen Comitatus hic retinet. *Hier. Surita ad Anton. itinerarium.* Ab Urbe autem hâc via patet ad invictam arcem

Salſas 3. *mill.* Hiſpan. Latinis Salſulæ, in Comitatu Roſſilionis, Hiſpaniarum Regi ſubjecta eſt, quanquam Galli ejuſdem potiri diverſis vicibus fruſtra conati ſunt. In plano campo ſedens firmiſſimâ defenſione ſe tuetur, ac propugnaculis eâ arte extructis munita eſt, ut non una ſed plures arces eſſe videantur, ſuis pontibus à ſe invicem ſejunctæ, ut una occupata cæteræ nihilominus non occupatæ ſint, ſede defendere queant. Ob paludes proximas aër inſalubris eſt. De miro fonte, cujus vix unius milliaris inter-

tervallo ab arce diſtantis Veteres meminerunt, *Nonium* Vide.

Hic hodierno tempore Gallia & Hiſpania diſterminantur, ut *Stunica* memoriæ prodidit. Via enim porrò per aliquot vilia loca Gallica Narbonam ducit, quam limitaneam urbem *Itinerarium ſupra dictum* ab arce Salſas undecim milliaribus ſejunctam eſſe dicit. Narbonam tamen ab Hiſpaniæ finibus vix tribus, aut ad ſummum quatuor milliaribus ſemotam eſſe, & Narbonâ Perpinianum unius diei itinere perveniri poſſe, in *Itinerariis Gallicis* legi. Vide *Itinerarium noſtrum Galliæ cap.* 5. *pag.* 349. *Hubertus Thomas Leodius in* 2. *lib. de vitâ Electoris Palatini Friderici II. b.* ac poſteà *in* 10. *lib.* tantum 4. milliaria Gallica numerat. In *Antonini Itinerario* Narbonâ Salſulas 30. mille paſſuum diſtantia eſſe dicitur: quæ 7. milliaribus Hiſpanicis magnis reſpondet. Totidem etiam *Nonius cap* 92. numerat. Dijudicatio erit penes eum, qui hoc iter fecit. Tantum de hoc tertio ad Hiſpaniam aditu.

I I.

Iter ex Galliâ & Urbe Tholosâ, Urbem S. Juan de pie de porto, ac inde Pompelonam Regni Navarræ metropolin,

& porrò Saragozam in Aragoniâ petens.

HActenus in hoc & precedenti capite tres illos aditus ex Gallia in Hiſpaniam tranſitum concedentes, de quibus mox ab initio primi capitis diximus, deſcriptionibus illuſtravimus. Quartus & ultimus ſequitur, qui in Navarræ Regnum patet.

3. *Navarræ* Regnum in montanis tractibus, olim, quam hodiè, majus, Biſcajam, Logromium, & Calahorram, vel Calagurram, aut Calagurim etiam comprehendebat: ex quibus Biſcaja regio eſt celebris: Logromium verò, & Cahorra civitates duæ celebres. Calaguris, *Lucio Nonio cap.* 81. teſte, in monte Ebro fluvio accumbit. Hodie Navarræi Regni latus unum montes Pyrenæi ſepiunt; alterum flumen Iberum vel Ebro claudit: Tudela tamen & aliquot oppidula adhuc excipienda, quæ trans flumen ſita ſunt. Rex Galliæ Navarræ Regis titulum adhuc uſurpans veteris Navarræ ſextam circiter partem adhuc poſſidere creditur; Poſtquam *Ferdinandus* Catholicus *Johanni Albretano*, cui hoc Regnum, *Catharinæ* uxoris ſuæ, & *Gaſtonis* Navarræ Regis, ac Comitis de Foix, Bearn, Bigor-

gorre, & Viennæ, filiæ nuptiis, dotale obtigerat, illud eripuiſſet. Videantur *Itinerar. noſtrum Gall. cap. 1. pag.* 122. *Æl. Nebriſſenſis de bello. populo, & rebus Navarræis*; *Johannes Gerundenſis epiſc. Hiſp. paralipom. lib. 5. & Rodericus Sanctius part. 1. cap. 12.* Ex Gallica hujus Regni parte, principatu nimirum Bearnenſi duæ viæ viatores ducunt in Regnum Navarræ propriè ita dictum, ut *Boterus pag.* 28. & *D.T.U.T.* indicant. Eas *Boterus* di Roncivalle, & di Eſpinal vocat. Urbes Regni Navarræ Hiſpaniarum Regis imperio ſubjectæ ſunt Pamplona, vel Pampelona, Regni caput; Stella, Tudela, Olite, Sanguezzà, vel Sangueſſa, olim Ituriſſe, Caſcanto. S. Juan de pie de Porto, Alvaro, Taſſaglia, & Viana. Ut *Boterus* opinatur, in toto Regno focorum vix viginti millia numerantur. Regno tamen jam accenſetur regiuncula Rigoſcia in Idubedæ montis, vel Saltus Aucenſis latere ſita, ubi aër ſalubris, ſolum frumenti ac vini ferax, & mellis copia ingens adeſt. Ejus urbes ſunt Najera, Navarene, S. Dominico, vel S. Domingo de la Calçada Guardia, & Baſtida. In ipſo autem Navarræ Regno ſolum frumenti non magnam copiam profert, ſed paſcuis ſatis multis pecuariæ rei inſervit.

Ex Galliâ in Hiſpaniam per hoc Regnum iter non eſt infrequens, quod Tholosâ vel Thoulousâ per Comitatum Bigorrenſem, principatum Bearnenſem, & Biſcajæ regionem eò tendit. Bigorre vel Bigerronum regio inter terras Bearnenſem, & Commingenſem, pervetuſtus eſt Comitatus, in quo Tarba metropolis & Epiſcopi ſedes. Urbes item Trie, Ravaſteins, Maubourget, & Baigneres, quæ ultima thermas habet admodum ſalubres & amœnas, ex monte ſcaturientes. Urbs Lourde Tholoſanæ *Juriſdictioni accenſetur*. Regio eſt aſpera, ventis & frigori obnoxia, & ſub Pyrenæis montibus ſita, in quâ vinum non naſcitur, & craſſi ingenii homines vivunt. Mos hic obtinuit, ut primogenitus omnium bonorum paternorum hæres evadat, ſive nobilis, ſive ignobilis, ut *Franciſcus des Rues* indicat. Gavre & Eſtrac Comitatus ipſi confines ſunt, ut *Merula part. 2. Coſmogr. lib. 3. cap. 38. fol.* 449. docet. De Bearnenſi principatu *cap.* 7. *Itinerarii mei Gallici*, & de Biſcaja *cap.* 1. mox ab initio egimus. Cum dicto autem itinere ita comparatum eſt.

Tholoſa, vel Thoulouſe, quam urbem in dicto itinerario deſcripſimus.

l'Iſle, 4. *mill.*

Gi-

Gimont, 2. *m.*

Ovinct, 2. *m.*

Baran, 5. *m.*

Maubourgnet, *vel Maubourget*, 7. *m*,

Molans, 4. *m.*

Orthes, 5. *m.*

Salvaterre, 5. *m.*

S. Palas, *vel Palay*, 2. *m.*

4. *S. Juan de pie de porto* 3. *m.* ità ut Tholoſæ & hujus loci diſtantia ſit 39. milliarium, ut *Itinerarium illud Gallicum* ſupra citatum numerat, quod poſito ordine omnia loca collocat. Hinc Confranen, indeque in Galliam perveniri alii dicunt. Latinè urbs hæc *S. Johannis* pedis portus appellatur. In Navarræ Regno, monti undecim millia paſſuum excelſo impoſita, fontibus abundat, & fertili ſolo plura ſuppeditat. *Marin. Sicul. lib.* 1 *fol.* 6. Mons, in cujus ſummitate campus perpetuò virens cernitur, ferrum ſubminiſtrat.

Roncevalles 4. *mill.* Latinè Rocida vallis, famoſa eſt clade, quâ ab Hiſpanis & Mauris aliquo tempore ante obitum ſuum affectus eſt Cæſar *Carolus Magnus*, qui in eâ *Rolandum* cognatum ſuum amiſit. Hâc de re vide *Johannem Turpinum in vita Caroli Magni cap.* 21. *& ſeq.*

multa fingentem; *& Johannem Marianam lib.7.rer.Hiſpan.cap.*11,

Panplona, *Pompelona*, *Pompelon*, 11. *mill.* ut *Salazar pag.*195. ait. apud alios minorem diſtantiam reperio. Regni Navarræ primaria civitas parvo à Pyrenæis montibus intervallo, in campis fertilibus Argæ fluvio adjacet, ac grandis, & opulenta validis mœnibus cingitur. Epiſcopum habet, & duas arces, quarum una intus, altera foris civitatem admodum firmam reddunt.

Hanc ſequuntur Tievas, Tafalla, vel Taffagla, Olite, duo oppidula, Arguuedas, ac

Tudela 15. *mill.* Hæc in Navarræ Regno civitas Ebro flumini appoſita eſt. Succedunt Cortes, Lurcenich, Dalagon, & tandem

Saragoza 15. *mill.* Hiſpan. de quâ Regni Aragoniæ metropoli in præcedente capite dictum eſt. Tantum de hoc quarto in Hiſpaniam tranſitu, præter quos quatuor Hiſpania, niſi navibus, adiri non poteſt.

III.

Friderici II. *Electoris Palatini ad Rhenum*, *& Bavariæ Ducis &c. Itinera in Hiſpaniam diverſa.*

Ut

UT dicti in Hiſpaniam tranſitus adhuc deſcriptione exactiore declarentur, paucis hîc ſubjungam itinera, quæ *Princeps ille ſereniſſimus* cum Secretario ſuo *Huberto Thoma Leodio* tempore Cæſaris *Caroli V.* in Hiſpaniam fecit: Quamquam me non latent hallucinationes Secretarii illius, qui modò hoc, modò alio nomine locum aliquem appellavit, ac in diſtantiis locorum ipſis haud infrequenter hallucinatus eſt.

Princeps Palatinus, eo tempore, quo pater ipſius adhuc vivebat, in prima juventute conſtitutus, in Comitatu fuit *Philippi I.* Caſtellæ Regis, Archiducis Auſtriæ, & filii Cæſaris *Maximiliani I.* cum quo in Hiſpaniam profectus eſt. Middelburgo ex Zelandia diſcedentes proficiſcebantur ad arcem Buſſi inter urbes Valencinam & Montes in Hannonia ſitam, inde Cameracum, Peronnam, Sylvanectum, Pariſios, Bleſenſe caſtrum, Cæſarodunum, Luſignanum, Santones, Blayam, Burdigalam, Bazas & Bayonnam petentes: de quibus locis in *Itinerario meo Gallico*, & ſupra etiam in 2. *cap. hujus Itinerarii* actum eſt. Bayonnâ profectionem ſuſceperunt

5. *Fuentarabiam*, vel *Fonterabiam*; nonnullorum opinione in Guipuſcoa ſitam,

 tam,

tam, & Hiſpaniarum Regi ſubditam, quam *Leodius* Biſcajæ accenſet, & parvam quidem ſed validè munitam eſſe dicit, ac eo pacto mari appoſitam, ut fluctibus recedentibus ſiccis pedibus, ſed iiſdem accedentibus planè non adiri queat. *Author Noſter*, quem in præcedentibus capitibus ſæpè citavimus, magni momenti munimentum, à quingentis Hiſpanis cum Oceano adjacente defendi, & Guipuſcoæ regionis in quâ ſitum, clavem eſſe docet. Vide *caput hujus Itinerarii ſecundum, haud longè ab initio. Caſp. Ens in deliciis apodemicis pag.* 26. ex aliis, quorum nomen more ſuo præterit, indicat; Fuentarabiam Latinè Oeaſonem appellatam, & ſitu, & hominum manibus firmiſſimè munitam, portu ſuo naves excipere, & allui fluvio Vidoſo; qui in montanis Cantabriæ emergens, ipſamque urbem præterlapſus in dictum portum effunditur. Hâc urbe relictâ, & monte *S. Adriani* ſuperato, Victoriam, Burgos, & Toledum venerunt, quâ in urbe tunc temporis Rex *Ferdinandus* & Regina *Iſabella*, *Philippi* Regis ſocer & ſocrus, commorabantur. Ac hic primus eſt in Hiſpaniam tranſitus, quem ſuprà in *cap.* 2. principio deſcripſimus. Cum Rex *Philippus* reverteretur, cum *Comite Palati-*

latino veniebat Madritum, Complutum, Signenzam, Calatajudum, & Saragozam. Inde, nuncio de ægritudine *Iſabellæ* Reginæ, ſocrus ſuæ, accepto, Madritum rediit, Saragozæ autem & Madriti diſtantiam *Leodius* 50. milliaribus Hiſpanicis, longitudine Germanicis non multùm inferioribus, metitur, iiſque conficiendis Regem quatuor tantum dierum iter triviſſe ait. Madrito Saragozam reverſus, inde Barcelonam, Gironam, Perpinianum, Salſas, & Narbonam pervenit. Reliqui itineris loca fuerunt Montpelier, Niſmes, Avignon, Valence, Vienne, & Lugdunum, unde per Sabaudiam, ubi Sabaudiæ ducem *Philibertum* ſalutavit, Burgundiam, Sundtgoviam & Hegoviam, Oenipontem ad patrem ſuum *Maximilianum* Cæſarem, ac porrò ex Tyrolenſi Comitatu Stutgartum in Sueviam, & Heidelbergã in Palatinatum, tandenq; in Belgium reverſus eſt.

Alterum Iter in Hiſpaniam fecit laudatiſſimus ille Princeps, cum Hiſpaniæ Regi *Carolo* nuncium afferret, quòd Imperator Romanus electus eſſet. Hoc iter *Leodius* breviter commemorat. *Carolus* Cæſar Anno 1520. Barcelonâ, Cataloniæ metropoli, abiens, per Aragoniam & Caſtellam itinere ſuſcepto, Compoſtel-

lam venit, quo in loco navem conſcendit, paucis diebus in Angliam appulit, atque inde per Flandriam, & reliquas regiones Aqnisgranum tetendit, ut ibi publica coronationis inauguratione Imperii adminiſtrationem ſuſciperet.

Tertium Iter Principis Palatini anno 1526. inſtitutum poſt diſceſſum ex urbe Heydelberga, in viâ habebat ſequentia loca; Metz, *Barleduc*, *Chalons*, Meaux, Paris, orleans, Blois, Amboiſe, Chaſtelraut, Poictiers, Luſignan, Angouleſme, Cognac, Bourdeaux, *Bazas*, Bayonna. Pòſt *ſequebatur pagus* Anjon, ut *Leodius* eum nominat. Hunc *ſub Pyrenæis* montibus Bayonna 4. miliaribus abeſſe ait. Proximi erant montes altiſſimi, per quos tamen, ut ipſe narrat, Galli ſua tormenta ænea tranſvexerunt. His ſuperatis prætenbat aliquot vilia oppidula, & poſt 11. milliaria emenſa veniebat

Pompelonam. Quartus hic eſt tranſitus in Hiſpaniam per Navarræ Regnum, de quo ſupra in hujus urbis deſcriptione in hoc capite dictum eſt. Inde

Taſallam 8. milliaribus à priore ſemotam, quod ſpatium *Salazarius* 6. mill. definit. In hac urbe Navarræ Reges domicilia ſua habuiſſe *Leodius* refert. His locis ſuccedebant

Cer-

Cervera 11. *mill.* In hoc oppidulo magiſtratus à *Comite Palatino* petiit, ne diu ſubſiſtere, & annonæ caritatem excitare velit,

Matalebres pagus, 4. m.

Gomorra 5. *mill.* in hoc oppidulo *Leodius* butyrum emere volebat, ut ſupra in 1. *cap.* dictum eſt.

Maron pagus, 4. *m.*

Hita 15. *mill.* Veterum eſt Ceſſata de quâ Urbe ſuperiùs in novæ Caſtellæ deſcriptione mentio facta eſt.

Guadalajara 4. *mill. Nonius* 6. m. habet. *Ptolomæi* Carraca, & *Antonini* Arriaca, ut *G. Barrerius*, & *Ambroſ. Morales* apud *Nonium cap.* 73. dicunt. Vide quæ de hâc urbe ſuperiùs in deſcriptione Novæ Caſtiliæ monuimus.

Inde iter ſuum promoventes, Compluto ſive Alcala de Henares urbe ad dextram relicta, ad pagum Santorquato pervenerunt, & Tajo flumine trajecto

Ocannam 11. milliaribus Guadalajarâ remotam, de qua etiam ſupra. hinc

Temblique 5. *mill.* inde

Villam hartam 10. milliaribus ſejunctam, poſt 11. milliaria excipiebantur diverſorio quodam ſolitario, quod venta Hiſpanis dicitur. Hoc in diverſis locis *Leodius* modò Evoellam, modò Ervol-

 lam,

lam, & forſan nullibi vero nomine, appellat. In tabulis Geographicis occurrit Itervela nomen, & apud *Salazarium* Lytvela, Yrvela, & del gruela Hoc in loco *Principi Palatino* vinum in palude hydris repletâ refrigeratum, & aſinina caro pro ferina apponebatur, ut ſupra *in* 1. *c.* narravimus. Hinc pergebant per 5. milliaria ad urbem

Vilches, quam *Leodius* pronunciationem ſequutus Vilſches appellat: inde fluminibus Guadiana & Guadalquivir trajectis

Ubedam per 6. mill. *Satis ſpatioſa* civitas à dicto flumine Quadalquivir haud procul dimota. In hâc orâ quoque eſt urbs Montiel vel Montilla, in quâ Collegium Jeſuitarum, *Johannis Avilæ* viri notiſſimi ſepulchro celebre; Ejus epitaphia apud Franciſcum Swertium legere eſt.

Granada 22. milliaribus Ubedâ abeſt, quanquam *Leodius* in aliis locis à ſe ipſo diſſideat. An exemplar, cujus ductum typographus in imprimendo ſequutus eſt, corruptum fuerit, an verò ipſa impreſſio hallucinata ſit, mihi non conſtat. *Salazarius Hiſpanus* in *Almoneda generali* 16. habet milliaria. Longitudo autem itineris totius Heidelbergâ in Hiſpaniam

niam eſt, ut *Leodius* numerat, 396. milliarium.

Princeps Palatinus ex aulâ Cæſareâ, quæ tunc temporis Granadæ erat, recedens, Ubedam, & ad Ventam illam revertit, in qua refrigerato illo vino, & ferinâ Hiſpanicâ exceptus fuit. Inde ad ſiniſtram ſe deflectens 12. milliaria confecit, ac in urbem Almagro venit, Dominis *Fuggeris* eo tempore oppignoratam. Succedebat pagus Malagon 5. mill. & urbs Toledo 15. mill. Hinc *Princeps Palatinus* quatuor comites ſibi adſciſcens equis curſoriis præivit. *Leodius* cum comitatu ſequutus Toledo per oppidulum Illeſcas, ut *Salazarius*, vel Liskes, ut *Leodius* appellat, Madritum 12. milliaribus diſtans, profectus eſt. Hinc iter promotum Arandam de Duero, cui nomen à flumine præterlabente ortum, 27. vel ut apud *Salazarium* extat, 25½ milliaribus Lermam, frumento & vino affluentem, 7. & Burgos 6. aut 7. milliaribus. De hoc itinere Toledo Madritum & Burgos ducente, conſule dictum *Salazarium fol.* 181. & *Caſp. Ens c.* 16. ubi ſæpè hallucinatus eſt. Sequentia itineris loca fuêre; Miranda in Ebri fluvii ripa 15. vel 16. mill. Vitoria 5. vel 6. m. Inde, per oppidulum Seguram, Toloſettam, cujus

cujus ab urbe Vitoria diſtantiam *Leodius* 15. mill. metitur, decem Seguram, & 5. Toleſam vel Toloſetam numerans. Fonterabia, Bajona, & in Gallia Bourdeaux, Luſignan, Montbaſon, Tours, Orleans, Paris, Barleduc, Metis, ac tandem Spira in Germania, quo duodecim dierum itinere *Principem* veniſſe *Leodius* narrat: Cujus computatio eidem 383. milliarium longitudinem aſſignat, ac procul dubio Gallica intelligit.

Quartum Principis Palatini Iter in Hiſpaniam A. 1535. novem dierum ſpacio confectum eſt. Nam poſtquam anno præcedente Secretarium ſuum *Hubertum Thomam Leodium* ex oppido Binche vel Bins in Hannonia in Hiſpaniam Madritum ad Imperatorem ablegaſſet, dicti anni menſe Novembri Bruxellis diſcedens bidui ſpacio Pariſios equis curſoriis venit. Inde per Galliam, & ex eâ per tranſitum Pompelonam ducentem, & Regnum *Navarræ*, Tafallam, Tudelam, Saragozam, & Barcelonam pervenit. Tertium autem tranſitum ex *Hiſpania* in Galliam repetens viam ſequutus eſt, quæ ipſum Perpinianum, Narbonam, Montem Peſſulanum, Lugdunum, Pariſios, Rotomagum, Ambianum, Atrebatum, Gandavum & Bruxellas reduxit.

Quin-

Quintum & Ultimum Iter Principis Palatini, antequam Elector Palatinus evaſit, anno 1538. inſtitutum eſt. In fine enim ejuſdem anni *Princeps* cum uxore ſua, *Chriſtierni* Daniæ Regis exulis, & ſororis Cæſaris *Caroli V.* filiâ, Burdigalâ ex Gallia Bajonam, & inde per montem *S. Adriani* profunda nive tectum, Burgos, & Toledum ad Cæſarem iter ſuum direxit. Per Galliam in Belgium ad Hungariæ Reginam *Mariam* reverſus in Angliam ambulatorio itinere ſe contulit. Ex Anglia vero per Belgium in Palatinatum ſuperiorem ad aulam ſuam Neofori tunc temporis morantem rediit.

IV.

Poſt diverſorum tranſituum in Hiſpaniam deſcriptionem ſequens adhuc iter terreſtre adjungam,

Quod ab Urbe S. Juan del pie del puerto, vel pie de porto ex Regno Navarræ Compoſtellam ſive ad D. Jacobum in Gallicia tendit.

Ambroſius de Salazar in ſua Almoneda generali pag. 195. ab urbe S. Juan de pie de porto, quam Germani & Galli plures, Religionis ergò peregrinationes ſuas inſtituentes, per quartum illum tranſitum petunt, Compoſtellam uſque itineri ducenti

centi attribuit 152. milliaria Hiſpanica. Quantum autem ex tabulis chorographicis colligere poſſum, rectam viam non ſequitur, verum periculi forſan, & montium causâ parum ab eâ declinat. In itinere autem illo ex Navarræâ illâ Urbe S: Juan de pie de porto Compoſtellam uſque loca ſunt peragranda, ut ſequuntur.

Roncevalles & *Pamplona* 15. mill. de utroque loco ſuprà dictum eſt.

Stella oppidum 8. m. Haud exiguæ notæ in Regno Navarræo Urbs.

Viana 7. m. Urbs quoque *Navarræa*, cujus ſæpè mentio incidit.

Logronno 1½ m. Hæc urbs à *D.T.U.Y. in libro ſuo des Eſtats*, adhuc Regno Navarræ attribuitur, ad quod antehac pertinuit. Sed hoc tempore Ibero vel Ebro flumine à dicto Regno ſegregatur, ita ut ad Veterem Caſtiliam pertineat. Vide *Salazarium pag.* 53. Satis grande ſpâtium ambiens civitas, in quâ, vino, frumento & ferinâ abundante, omnia precio tolerabili comparari ſolent. Incolas fides & militaria facinora nobilitant, quos etiam ſingularibus, & quidem haud exigui momenti immunitatibus & privilegiis donavit Cæſar *Carolus V.* ut *C. Ens cap.* 25. ſcribit.

Navarette urbs 2.m.

Najara vel *vel Najera* urbs 3.m.

S. Domingo de la Calçada Urbs, in regione Rioſciâ, cujus ſupra in Regno Navarræ mentio facta, propè quam Oſcia fluvius oritur. 4. mill.

Villa Franca Urbs, 6.m.

Samedel Urbs, 6.m.

Burgos urbs, 2.m.

Caſtro Xeris urbs, 6 m.

Villa Martin urbs, 6.m.

Carrion los Condes urbs, 2.m.

Sagahun urbs, 8.m.

Manſilla urbs, 7.m.

6. *Leon* urbs 4. mill. Metropolis Regni Cognominis, Septentrionali latere Aſturiam, Occiduo Galleciam, Meridionali, ac ferè etiam Orientali, Caſtellam veterem tangentis. In eo Urbes ſunt, ut *Marin. Siculus* recenſet; 1. Palentia, præcipuæ & Veteris notæ civitas ad fluvium Carriconem, vel Carrionem, in ſolo fertili ſita & epiſcopatu decorata, qui Hiſp. Epiſcopatuum opulentiſſimus judicatur. 2. Zamorra olim Sentica, ut *Reſendio* & *Nonio cap.* 58. placet. Incumbit ſolo fertili in ripâ fluvii Durii ponte inſigni ſtrati. Inſigne autem eſt munimentum, eodem *Nonio* teſte, totuſque ejus tractus lapide abundat, quem turqueſa nuncupant.

panr. Hujus civitatis juriſdictione comprehenditur etiam Sagiago cum plurimis pagis exiguis, quorum incolæ ruſticis moribus eminent, qui ex ipſorum veſtitu, linguâ, & corporis habitu craſſo, inſulſo, & incondito patent. 3. Cuidad, vel Ciudad Rodrigo, civitas à Ferrando Leonis, vel Legionis Rege extructa in eo loco, in quo olim Mirobriga fuit, ut eſſet propugnaculum & munimentum Luſitanis ſe opponens. Vide *Marianam de reb. Hiſp. lib.* 11. *cap.* 11. Præter has civitates grandes in hoc regno etiam reperiuntur plures minores, ut ſunt *Villa Franca*, *Cacabelos*, *Ponferrada*, quæ nonnullorum opinione eſt veterum Interamnium, Flavium, Vierzi, Ponte della Reina, Orzanaga, & Ledeſina, quam natura admodum firmam reddidit, & cibariis omnigenis ditavit, cum 380. vicos ſub ſe habeat, in quibus ſexdecim circiter focorum millia numerari perhibentur. *Præ* aliis verò celebrantur oppidula Manſilla, Villalpando, & Benevento. In hoc poſtremo *omnibus* rebus, & aqua ſalubri opulento magnificum *Comitis Pimenteli* palatium viſitur Sabdagna porrò & Tordeſilla fertilibus admodum campis cincta, & ſumptuoſo Regis palatio ornata. Item Taurus vel To-

Toro, in excelſo loco optimi vini rubri ferace, & omnigeni frumenti, & fructuum variorum pleno: Medina del Campo, vel Methymna Campenſis emporium famoſum, in quo Hyberno tempore tres menſes, & æſtivo etiam tres menſes nundinæ celebrantur, ut *C. Ens* tradit. Ac quanquam incendia aliquoties illud damno haud exiguo affecerunt, nihilominus tamen *Marineo lib. 2. de reb. Hiſp. fol.* 8, *a.* narrante, à ſoli fertilitate, & commerciorum frequentiâ inſigniter ditatur, & ejuſmodi immunitatibus fruitur, ut omnibus vectigalibus, & tributis libera ſit, & nec Regi officia ejus & munera publica diſtribuere, nec Pontifici beneficia & bona Eccleſiaſtica conferre liceat. Unde & hoc incommodi emanat, ut incolæ eorundem cauſa vehementiſſimis litibus & concertationibus collidâtur. Ac propterea fieri poteſt, ut incommodorum illorum vitandorum gratiâ mutatio aliqua facta ſit. Hujus loci panis & uinum magna laude extolluntur, & inter totius Hiſpaniæ dona duo optima referuntur. Tandem eſt Medinario ſecco, *Marineo fol.* 11. Roſeca, locus, in quo parvo vivitur, & præſtantes mercatus annui celebrantur. Ad hanc Regionem etiam refertur Urbs & Academia Salaman-

manca, quanquam hodierno tempore cum nonnullis aliis ſupradictis locis ad Veterem Caſtiliam pertinet, ut in ejuſdem Regionis deſcriptione antehac diximus.

Quantum attinet ad ipſam Urbem Leonem vel Legionem, quæ Regioni nomen ſuum impertiuit, Ea, *Nonio* teſte *cap.* 57. hoc tempore ex præcipuis urbibus una, templo ornatur pulcherrimo, quod 37. Regum, & unius Hiſpanici Cæſaris monumenta complectitur; Cum hoc in loco plærique Reges Hiſpaniæ commorari ſoliti fuerint, quo tempore Saraceni potiſſimas Hiſpaniæ Regiones in poteſtate ſuâ habuerunt. Poſtquam enim Mauri Hiſpaniâ potiti ſunt, reliqui Gothi *Pelagium*, *Faſilæ* Ducis in Cantabria filium, ſanguine Regio prognatum, *Roderico Toletano lib.* 6, & *Roderico Sanctio part.* 1. *hiſt. Hiſp. cap.* 11. docentibus, Regem crearunt, qui anno 722. Mauris hanc urbem eripuit, eandemq; ſedem Regibus conſtituit, ac Caſtellum novum contra Mauros & Saracenos excitavit, à quo poſteà Caſtellæ Regno nomen natum. Succeſſit ipſi filius *Faſila* vel *Favilla*, ut eum *Franciſcus Tarapha de Origine ac rebus geſtis Regum Hiſp.* appellat, & huic iterum *Alphonſus Catholicus* Ducis

cis *Petri* in Cantabriâ, ex Gothici Regis *Ricaredi Catholici* poſteris, filius, qui *Faſilæ* dicti ſororem *Ormiſendam* uxorem duxit, ex cujus proſapiâ multi Reges uſque ad *Veremundum III.* hujus nominis Regem Legionis, huic Regno præfuerunt. Hic *Veremundus III.* anno 1020. vel 25. ex hujus vitæ ſtatione abiit. Ejus autem ſoror *Sanctia, Ferdinando* Navarræ & Caſtellæ Regi nupta, eundem Legionis Regni dote auxit, illudque Caſtellæ Regno adjunxit. In pulchro illo Epiſcopali, & admodum artificioſâ ſtructurâ erecto templo, de quo ex veteribus *L. Marinæus Siculus l. 3. de reb. Hiſpan.* & ex recentioribus *C. Ens pag. 3. Itinerarii ſui Hiſp.* legantur, quieſcit *S. Iſidorus* anno 625. mortuus, qui *S. Marcellum* & uxorem ejus *Nonam*, quorum filii 12. Martyres fuerunt, oriundos fuiſſe ſcribit. Nihil eſt rerum tàm ad delectationem, quàm ad neceſſitatem requiſitarum, quod hæc civitas deſiderare queat. De quâ re vide dictum *Marinæum*, *Theſaurum Geographicum Ortelii*, & *P. Merulam in 2. part. Coſm. lib. 2. c. 18.*

Ad Iter redeamus.

Valverde Urbs, 2. mill. inter quam & ſequentem vilia quædam loca intercedunt.

Aſtor-

7. *Aſtorga* 7. mill. Hæc civitas, quam *Plinii* & *Antonini* Aſturicam eſſe arbitrantur, parva quidem ſed naturâ fortis & valida eſt, cujus juriſdictionem fluvius Torto, plurimas auratas, ſive trutas alens, permeat. Inde haud procul Lacus eſt Sanabria, unum milliare *longus*, & vix dimidium latus, ac fluvio Ter pervius, qui inſtar parvi alicujus maris fluctus excitat, & admodum piſcoſus eſt. In ipſo medio ſuperbum & magnificum Comitis de Benevento palatium ſcopulo inſidet.

Montoſa hæc Regio Aſturia à flumine Ribadeo, uſque ad Santandrum ſe extendit, & , ut *Maginus* eam definit, *in* occaſu Gallıciâ, à meridie Veteri Caſtella, in ortu Biſcajâ, & in ſeptentrione mari Cantabrico terminatur. In Aſturiam de Oviedo, & de Santiliana, in qua poſteriori parte Lianes, & dictum Santandrum inveniuntur, diſtribui *Salazarius* & *Nonius* ſcribunt. Vide *Nonium cap.* 43. & *Merulam cap.* 17. Incolis non admodum referta auro tamen abundat, & coloribus variis, ac equis. Primaria Urbs eſt Oviedo, Ovietum, vel Ovetum, quo olim, poſt Saracenorum invaſionem in Hiſpaniam, Chriſtiani, tanquam ad aſylum quoddam, confugere ſoliti ſunt, quem-

ad-

admodum etiam theſaurus Eccleſiaſticus eò delatus eſt, & Epiſcopi ipſi ſe eòdem receperunt. Vide *Rodericum Toletanum lib.4.de reb.Hiſpan.cap.*18. Altera civitas eſt Santandrum, vel Santander, cujus prolixa deſcriptio in *C. Ens ſæpe citato Itinerar. pag.* 29. quærenda: vide etiam *Boterum pag.*26. Cantabrico mari appoſita portu præſtante navibus ſtationem tutam concedit.

Reſiduum iter Compoſtellam tale eſt.

Ponferrada urbs, 14. mill.

Villa Franca urbs, 5, mill. Hæc duo oppidula à nonnullis ad Legionis regnum adhuc referuntur.

Tria Caſtella, 12.m.

Puerto Marin, 8.m.

Ferreros, 13, m.

8. *Santiago*, vel *Compoſtella* 5. mill. Galoeciæ, vel Galliciæ Regni metropolis, nullis veſtigiis antiquitatem nec editis momenti alicujus facinoribus celebritatem ſuam loquens, ut *Nonius cap.* 52. ait. Celebritatem tamen maximam huic Urbi conciliavit *S. Jacobus Apoſtolus*, quem ab anno *Chriſti* 846. & Regis *Ramiri* tempore Hiſpani pro Patrono ſuo coluerunt, adeò ut omnibus mundi locis ad hanc urbem frequentiſſimæ peregrinationes Religionis ergò ſuſcipiantur.

Quan-

Quando autem Sancti illius corpus Iriam Flaviam, quæ *L. Marinæo Siculo ſol.* 10. *b. Sancta Maria* Finis terræ, ac inde Compoſtellam delatum, quo pacto illud Anno demum 798. *Alphonſo Caſto* Rege regnante, Theodomiro Iriæ Epiſcopo revelatum ſit, & quâ ratione in hâc civitate, *Carolo M.* Imperatore, qui eam etiam peregrinans viſitavit, inſtante, Epiſcopatus, ac poſteà anno 1124. Archiepiſcopatus inſtitutus, & Archiepiſcopali hujus urbis templo magni reditus attributi ſint, legantur *Hiſtorici Hiſpanici*, & *Cæſar Baronius tom.* 9. *Annal. Eccleſ.* Videatur item *Joannes Turpinus Archiepiſcopus Rhemenſis*, *in vitâ Caroli M.* & *Rolandi*. Videatur etiam *de tranſlatione Jacobi Apoſtoli Tom.* 1. *Bibliothecæ Hiſp. c.* 1. Bis mille focos in hâc civitate, quæ Academiam habet, numerari ajunt.

Hinc per alveum, ſeu canalem quendam admodum commodè mare ingredi, atque ità in Galliam, Angliam, aliaque loca proficiſci licet. Nonnulli Fines terræ, olim Nerium promontorium, hodiè Cabo de Finis terre appellatum, & Compoſtellâ 16. mill. diſtans, petunt. Alii ſe conferunt Corunnam vel Coronam ab eâdem urbe 10. mill. remotam. Portus eſt admodum celebris, in quo peregrinatores

tores ex Hiſpaniâ abituri naves conſcendere ſolent. Brigantinus olim, & Urbs ipſa Flavium Brigantium appellatum eſt. *Johannes de Laet in deſcriptione Gallæciæ pag.* 11. *ex Thuano* refert, Corunnam duplicem urbem eſſe; unam excelsâ ſede poſitam, & arce, ac mœnibus firmatam; cui altera, Peſcaria ab incolis appellata, inferiori latere muro adjuncta eſt, altero latere, ut peninſula mari cincta; in cujus portu claſſis vel maxima ſtationem habere poteſt. *Johannes à Leublſing in Itinerario ſuo* Caronnam in Gallicia validam, & populoſam urbem, rotundo ſitu extructam, & Caſtello, ac turribus & propugnaculis rotundis antiquo more munitam eſſe ſcribit.

9. Regio ipſa, in quâ hæ civitates ſitum ſuum habent, Galecia, vel Galœcia, aut Gallicia appellata, inter Oceanum Cantabricum, & Occidentalem, Aſturiam. ac Regna Luſitaniæ & Legionis, interpoſita eſt. Sequentibus terminis eam deſcribit *P. Merula lib.* 2. *cap.* 26. ad Ortum & Occaſum nempè Oceano, ad Meridiem Luſitaniâ, & ad Orientem Aſturiâ. Pluribus quàm quadraginta portibus, inter quos Corunna & Ferol maximi ſunt, naves adventantes recipit. 5. Præcipuæ notæ urbes, & 57. mœnibus cincta

oppidula ambitu ſuo comprehendit: Cæterùm aliquantò aſperior, & montibus plenior, aquarum penuriâ vexatur; verſus mare tamen, quod piſcibus plurimis refertum, pluribus incolis habitationem præbet. Ferrum in hâc regione ex montibus erutum & paratum inter omnia alia hujus generis metalla excellere dicitur. Fodinæ argenti & auri etiam paſſim frequentes, *ligni*que copia haud exigua. Vinum ſic ſatis bonum eſt, & venationes variæ, & crebræ, equorumque numerus copioſus. Quantum ad dictas civitates attinet, eæ ſunt, quæ ſequuntur. 1. *Compoſtella, de quâ in præcedentibus.* 2. Lugo, vel Lucus, pervetuſta civitas, thermis ferventiſſimam aquam ejicientibus, celebris. 3. Orens urbs Orenſis, Orenſium, aliâs etiam Auriſina, ſed perperam, à veteribus Aquæ calidæ, vulgari autèm nomine Orenſe nuncupata, cujus thermæ, multis morbis medentes, adeò fervidam emittunt aquam, ut in ea caro, ova, & alii cibi elixari queant, ac vituli immiſſi mox pilis ſuis priventur, & ſine ulteriore labore purgentur. Pars tamen aquæ temperatioris caloris facilè tolerari poteſt. Suevi aliquandiu in hâc regione olim habitantes eas Warmſee appellitabant, ex quo nomine ſolitum nomen

men Orenſe natum, ut *L. Nonio cap.* 53. placet. Situs peramœnus civitatis in agro, vini, & omnis generis fructuum ferace, appoſitus eſt fluvio Minio. Civitatem autem ipſam exornat Epiſcopale templum ſatis elegans. 4. Tuy ad idem flumen Minium, aliâs Tude vel Tyde, ex qua *Lucas Tudenſis* Epiſcopus, & hiſtoricus oriundus fuit. Epiſcopatus enim eſt in hâc civitate, quæ una eſt ex amœniſſimis totius Galæciæ urbibus. Præter has præcipuæ notæ urbes, aliæ etiam ſunt minores, inter quas eminent ſequentes: nimirum Arzua, Gummarez, Bajona, Vigo, Pontevedra, Padro. Noja, dua ſupra deſcriptæ, Finis terræ, & Corunna; item Pontedeaume, Ferol, Ribadeo, Sarria, Rivadavia, Monterci, & Viana, quarum nonnullæ littus marinum occupantes maritimæ ſunt, aliæ verò fluminibus accumbunt. Sed hæc hactenus de itinere ex Galliâ Compoſtellam ducente.

Quomodo autem ex urbe & portu illo celeberrimo Alicante, in Valenciæ Regno, quem in præcedenti capite deſcripſimus, & quò plurimi navibus adventant, itinere planè tranſverſo Compoſtellam, aut eòdem ex urbe Valenciâ, viatores commodè pervenire queant, ſæ-

pius citatus *Ambroſius de Salazar*, cujus *Almoneda generalis*, *ſive Inventarium Hiſpaniæ*, Gallicâ, & Hiſpanicâ Linguâ Pariſiis impreſſum, facilè comparari poteſt, & vulgaria Itineraria ſatis docent. *Salazarius* ab urbe Alicante per urbes Villenam, Montalegren, Rodam, Toledum, Eſcalonam, Medinam del Campo, Villalpandum, Aſtorgam, & proximam modò indicatam viam 178. ab urbe Valenciâ per Guençam(de quâ inſigni Urbe *Boterus*, *de Laet*, & *C. Ens* legi poſſunt) Pliego, Burgos; Legionem, & Aſtorgam 188. Hiſpanica milliaria Compoſtellam numerat. Hiſce potiſſimis itineribus, quæ Germani noſtri in Hiſpaniam facere ſolent, ut & Hiſpanicarum Regionum, & Regnorum deſcriptioni finem impono.

FINIS.

INDEX
Deſcriptionis Regni
HISPANIÆ.

A.

ABdera. 265
Abyla. 236. 140
Accitana colonia. 268
Acini uvarum. v. Vvæ paſſæ.
S. Adrianus. 131
S. Adriani mons. 315.131.351.
Adur Galliæ flumen. 119.120
Æolides Inſulæ. 88
Afranius. 310
Agnus caſtus. 122
Agrada. 314
Aguilar urbs, 136
Familia. 253
Alaba, vel Alava. 131
Alba, vel Alva. 65.136.220
Albarrazin. 418
Albertus Archidux Auſtriæ 192. 220.283.300
Alburquerque Dux. 301

Alcala 241. *Alcala de Henares*. 183. *Alcala real* 227. 255. *Alcala de les Gonzales*. 68
Alcantara urbs & equeſtris ordo 169. 196. *vid. Hiſpania.*
Alcantarilla. 242
Alcira. 281
Alcobiere, vel Alcovierre. 325
Alcoil. 279
Aldea Gallega. 212. 223
Alduida fl. vid. Vidoſo.
Alexander VI. Papa. 283
Alfaro. 339
Algarbia 207
Algarria. 170
Algemeſin. 281
Algerbe fl. 136
Alhama. 256. 265
Alicante. 277. 263
Alimentum equorum. 10
Almacarron. 270
Almada. 211
Almala. 81
Almagro. 349
Almary. 296

Almeria. 265
Almerin. 210
Almonte. 230
Almugnecar. 256
Aloyſia Sigaa. 194
Alphonſus Catholicus. 208. 356
Alphonſus Caſtus. 360
Alphonſus VI. 111. 114
Alphonſus Aſtrologus. 273
Alphonſus primus rex Aragoniæ. 297. 319
Alqueria. 228
Altare viſu dignum. 249
Alva, vide Alba.
Alvarus de Luna. 70
Aluminis copia. 270
America. 89. *Navigationes in Americam.* 243
Ampurias. 334
Anas, vide Guadiana.
Andaluſa. 226. 243
Andayo. 124
Angolæ regnum. 88
Annius Viterbienſis. 108
Anticaria. 266

Antiquera. 256.266
Antiquitates. 154.191.202.205.242
251.272.287.296.267.298.315
S. *Antonius de Paduâ.* 41
Don Antonius de Portugal, ſive Luſitaniâ 111.113
Aquæ cal idæ, vide Auria.
Aquæ ductus. 154.177.187.188.193.
202.205.246.248.
Aquæ Lupiæ, vide Guadalupa
Arago fl. 312
Aragonia 4.75.105.311.*ſeqq.* 316.
Incolæ ejus. 313. *Aragoniæ reges* 317. *Regum ſepulchra*.297.
Aranda, vel Aranda de Duero. 136.
349
Aranjuez. 186.*ſeqq.*
Araxis fl. 130
Arces in Hiſpaniâ. 146. 152. 171.
ſeqq. 178.185.193.220.218.242.
246.253.257.259.263.265.*ſeqq.*
278.296.335.336.354.358.
Arcos. 103.241.242
Areæ. 144.149.258
Arga fl.

Ar-

Argamaſilla. 200
Arganda. 185
Argentum vivum. 81.226.ſeq.
Arguedas. 342
Arguin. 88
Armamentarium. 174
Arriaca. 347
Arunda vide Ronda.
Arzua 363
Aſcolo princeps. 280
Aſindum, quare Aſſidonia
Aſores inſulæ. 88
Aſſidonia. 235
Aſpectus morbum cauſatur. 238.ſeq.
Aſſeque. 188
Aſta regia. 318
Aſtarlid. 333
Aſtigi. 252
Aſtorga, vel Aſturica. 358.364
Aſturia. 5.358
Aturrus fl. quare Adur.
Aucenſis ſaltus. 339
Auchs archiepiſcopatus. 119
Averroes. 253
Auguſta Eremita v. Emerita.

Auguſta firma. 252
Auguſtobriga. 137
Auguſtus Imper. 201
Avicenna. 253
Avila, urbs 136. *Familia* 68.228 348
Avis miræ naturæ. 181
Aulæ pulchræ vide Cœnacula
Auria vel Auriſina. 362
Auſetani. 333

B.

BAca. 268
Badajoz. 196.203.*ſeq.*
Baeça vel Baeſa. 227.*ſeq.*
Bætica. 195
Bætis fl. 231. *v. Guadalquivir.*
Bæturia. 195
Baigneres. 340
Bajonna in Galliâ 118. 120. 343. *in Hiſpaniâ.* 363
Balbaſtro. 313.325
Baleares inſulæ. 87.300
Balmego. 225
Balnea v. Thermæ.
Barbaſtrum qu. Balbaſtro

Barcelona , & ejuſdem Comites. 299. ſeqq. 303. ſeq.
Barcino vi. Barcelona
Barſoria qu. Oria.
Baſa. 269
Baſcaras. 333
S. Baſiliſſa. 339
Baſtida 336
Bayonne v. Bajona.
Bazas . Baſadois in Galliâ. 118
Bearnia cum viis ex eâdem in Navarræ regnum 339. 340.
S. Beat in Galliâ. 329
Begia vel Beia. 211. 224
Bejara. 14
Belem monaſterium , & arx 217. 221
Belpuch. 309
Benedictus III. Papa. 289
Benevento urbs 354. *& familia.* 298. 358
Beoyvia , vide Beryvia
Beroſus. 107
Beryvia 125
Bergera. 304
S. Bertrand in Galliâ. 329

Beſons fl. 301
Betullus fl. qu. Beſons.
Bexa, vide Begia,
Biar. 276
Bibliotheca viſu digna, 165. *ſeq.* 184. 321
Bidaſſo fl. qu. Iron.
Bigorre, vel Bigerronum Comitatus in Galliâ 340.
Bilbao. 122
Bilbilis. 314
Bins in Hannoniâ. 350
Birbieſca. 135
Biſcaja. 5. 120. *ſeqq.*
Blanca Petri Caſtiliæ Regis uxor 234
Bolo, vel Bolon. 334
Borgia familia. 276
I. Boterus. 90
Bovierca 314
Bourdeaux in Galliâ. 118
Brabanza montes. 311
Bracara vel Braga in Luſitaniâ. 60. 192. 208
Braganza urbs, & dux 726. *ſeq.* 111. 210.

Bri-

Brigantinus portus. 361
Burdigala v. Bourdeaux
Burgos. 56. 60. 135, 138. *ſeqq.* 353. 464.
Burjalajos. 316
Buſſi arx in Belgio. 343
Byzcaja v. Biſcaja.

C.

Cabanes. 289
Cabecon, Cabegon. 143
Cabera. 242
Cabo de Finis terra. 360
Cabo de Gates. 265
Cabo de Palos. 270
Cacabelos. 354
Cadima campus. 209
Cadix, quære Gades. Baja de Gades vel Sinus Gaditanus. 234
Iulius Cæſar. 266. 310
Cæſar Auguſta v. Saragoza.
Calaguris, Calagurra, vel Calahora. 338
Calatajud, vel Calatajuta. 314. 345
Calis quære Gades.
Calpe. 16. 236

Cambriles, Cambrilla. 295
Caminus inſignis. 152.173
Camobra qu. Zamora.
Campo oppidulum. 199.325
Campos regio. 136
Canariæ Inſulæ. 89
Cantabria. 75.120.126.
Cantabrica lingua. 121
Cantarilla. 273
Capitis viridis Inſulæ. 88
Captieux 119
Caraqua navium ſpecies. 214.ſeq.
Cardona urbs & Ducatus. 292
Carinnena. 300
Carinthia.
Carmona. 227.251
Carolus M. 292.ſeq.341.360
Carolus V. Imp. 10.54.110.139.161.
171. 172.ſeqq. 178.ſeqq.234.289.
345.
Carolus VIII. Galliæ Rex 291
B. de Carpo. 176
Carraca. 347
Carricon vel Carrion fl. 353
Carrion los Condes. 353

Cartagena. 272.*ſeq.*
Cartama. 267
Charthago nova vid. Cartagena.
Carthuſia celebris. 248
Cartima quære Cartama
Caſcais vel Caſcale. 215.223
Caſcanto. 339
Caſlona. 170
Caſtilia 4. 5. 135.*ſeqq. Vetus Caſtilia.* 135.*optimi caſei,* 135. *Veteris & novæ Caſtiliæ diſterminatio* 135.*Caſtilia nova.* 168.*ſeqq. Caſtiliani apud cæteros Hiſpanos invidiâ laborant.*168.
Caſtillo de Leon. 327
Caſtres. 118
Caſtrolibya. 327
Caſtro Rio. 254
Caſtro Xeriz. 353
Catalaunia vel Catalonia. 25.290 *ſeqq.*
Catharina Medicæa. 111.113
Caunus mons. v. Moncayo.
Cebola. 194
S.Celonii. 333

Celtæ 107
Cera. 325
Cerdaniæ comitatus, 328
Ceretani. 292. 328
Cervera. 309. 466
Ceſſata. 169. 347
Ceuta. 236. 240
Ceylaon. 89
Charidemum Promont. 265
Chenil qu. Xenil.
Cicadarum multitudo. 10. 203
Cinga. fl. 310. 315. 325
Ciudad, vel Ciudad Rodrigo. 137
Clunia 137
Cocca. 150
Cœnobia opulenta, & celebria 56. *ſeq.* 141. 156. *ſeqq.* 197. *ſeq.* 221. *ſeq.* 246. 249. *ſeq.* 274. 296. *ſeq.* 305 *ſeqq.*
Cogedus fl. 314
Coimbra, v. Conimbria.
Colbato. 305
Colibra. 292
Colubraria Inſ. 87
Cominges vel Comingia Galliæ comitatus. 328. *ſeq.*

Com-

Complutenſia Biblia. 40.184
Complutum. 183.*ſeqq.*345
Compoſtella. 359.363
Concha. 101.168.364
Confrane. 340
Congo regnum. 88
Conimbria. 209
Conſtans Imper. 292
Contentayna. 279.*ſeq.*
Convenarum Comitatus qu. Cominges.
Cordoua vel Corduba civitas. 252.*ſeqq.*
Cordubenſis corii præparatio. 267
Coria. 137.196
Corona vid. Corunna.
Corona ſumptuoſa. 307
Cortes. 242
Fernand Corteſe. 200
Corunna urbs. 360.*ſeq.*
Coſſerans in Galliâ. 329
Covarruviæ. 151.194
Crocodilus. 177.*ſeq.*
Crunna del Conde. 136.137
S. Cruz Marchio. 69
Cubas. 224
Cubeba. 264.267

Cuen-

Cuenza vid. Concha
Cuevas. 289
Cuidad Rodrigo , vid. Ciudad.

D.

D*Acianus.* 183.320
Dalagon. 342.
Daroca. 300
Darrus fl. 257
Dax Galliæ urbs. 119
Decianus. 203
Denia. 126.276
Dertoſa. 293
Dianium v.Denia.
S. Didacus, vel S. Diego. 185
S. Domingo vel Dominico de la Calcada urbs. 339.353
S. Dominicus. 41.284
Domus deliciarum v. arces.
Don vocabulum. 128
Donaſtien v. S.Sebaſtian
Duennas. 143.
Duero vel Durius fl. 13.136.149.*ſeq.*

E.

E*bora.* 208.*ſeq.*
Ebro fl. 13.134.317.338

Ebuſa inſ. 87
Eceia. 227.252
Echo. 268
Eciza v. Eceia.
Edetani. 283
Elche. 277
Elvas. 205.*ſeq.*
Emanuel Luſitaniæ Rex. 111.221.*ſeq.*
Emerita. 196.201.*ſeq.*
Emporiæ. 334
Encauſſe. 330
Encratis vel Engratia. 320
Enriques familia. 64
Epitaphia. 161.184.221.*ſeq.*
Equeſtris ordo in Hiſpaniâ. 57.*ſeq.*
Eria. 126
Eſcuriacum, Eſcurial, monaſt. 156 *ſeqq.*
Eſparraguera. 305
Eſtrac Galliæ regio. 329.340
Eſtremadura. 5.195.*ſeqq.*
Eſtremos. 206
S. Eugenius. 192
S. Eulalia. 203

Evo-

Evoëlla, Eruella. 347.*ſeq.*
Exercitus Chriſti fratres, vide Fratres.

F.

FAceta hiſtoria pueri & Maurororum. 272.*ſeq.*
Faſila vel Favilla Legionis Rex. 356
Fanum S. Bertrandi. 329
Faro. 207
Faſcinum. 238.*ſeq.*
Faſtus. 283
Fels caſtellum. 299
Ferdinandus bellicoſus. 245
Ferdinandus Sanctus. 273
Ferdinandus Legionis Rex. 354
Ferdinandus Navarræ & Caſtellæ Rex. 357
Ferdinandus V. Catholicus Hiſpaniæ Rex. 58. 110. 175.*ſeq.* 260.*ſeqq.* 267.291. 344.
Feria Dux. 284
Ferol. 363
Ferreros. 359
Ferrum copioſum. 127.321
Fex caſtellum vid. Fels.

Figueras. 334
Finis terræ. 237.360
Flandricæ Inſulæ. 88
Flavium Brigantium. 361
Fliſſinga. 234
Fonterabia quære Fuentarabia.
Fons miræ naturæ. 12.209.336
Fontes copioſi. 13.260.263. 280
For in Galliâ. 331
Formentere. 87
Forum Gallorum. 113
Fraga. 315
Franciſcani Monachi. 54. *diſſidium eorum cum Dominicanis.* 55. 142
Franciſcus I. Galliæ Rex. 173.176. 179.180
B. Franciſcus Hieronymus Simon. 285
Fratres à fratre occiſi 246
Fratres puriſſimi ſanguinis Chriſti. 296
Fratres exercitus Chriſti. 211
Fratres miſericordiæ 217
S. Fregeau. 329
Fridericus II. Elector Palatinus. 6.18. 47.*ſeq.*249.*Itinera ejus.* 342. *ſeqq.*

Fridericus IV. Imp. 112
Fuentarabia. 125.126.343.*ſeq.*350
Fuentes comes. 64.70
Fugger. 81.349.

G.

GAdes. 201.227.233.*ſeq.*
Gaditanus Sinus. 234
Gaditanum ſeu Herculeum Fretum. 237
Galla 12.267
Galecia, vel Galoecia, vel Gallicia. 359.361.*ſeqq.*
Gallego fl. 316.317
Galleretta. 131
Gallia & Hiſpaniæ fines. 2.3.120.*ſeq.* 125.327, 337. 338. *Iudæi in Galliâ.* 123. *Quid ex Navarrâ ad Galliam pertineat.* 338
Gallicia v. Galecia.
Gandia. 276
Garumna fl. 328
Gaſto de Foix Navarræ Rex. 338
Gates v. Cabo de Gates.
Gave fl. 120
Gaure comit. 329. 340

Ge-

Gebal Tarick qu. Gibraltar
Geminorum primogenitura quomodo in Hiſpaniâ diſcernatur. 53
Genuenſium theſaurus. 165. ſeq.
S. Georgii Caſtellum 88
Gerunda v. Girona.
Gibraleon. 129
Gibraltar. 16. 227. 236. *Eſtrecho de Gibraltar.* 19. 227. 236.
Gineſtar. 294
Girona. 333
Goa inſ. 89
Gomezii. 194
Gomorra. 18. ſeq. 347
Gothalania qu. Catalonia.
Gottorum Regnum in Hiſpaniâ. 108. 109. 299
Granada urbs & regnum. 4. 58. 109. 175. 255. ſeqq. 348.
Gratia. 319
Graus. 324. ſeq.
Gruela vide Evoëlla
Guadalaiara. 168, 300. 347
Guadalcana. 82
Guadalantin fl. 272

Guadalaviar fl. v. Turia.
Guadalete fl. 232
Guadalupa. 197. *ſeqq.*
Guadarrama fl. 170
Guadianâ vel Anas fl. 13.224. *an ſub terram ſe condat?* 13.200.*ſeq.*
Guadix. 268.*ſeq.*
Guardamar. 270.277
Guardia urbs. 339
Guetalabiar fl. v. Turia.
Guevara familia. 70. *Antonius de Guevarâ.* 148
Guipuſcoja, vel Guipuzcoa. 5.125.*ſeqq.*
Guletta in Africa. 334
Gummarez. 363
Gurrea 313.325
Gurumea. 128
Guſmanes vel Guzmanes famil. 65. *Alphonſus Perezius Guſmannus.* 65

H.

HAdrianus Imp. 248
Hadrianus VI. Papa. 58
Hannibal. 287
Helena vel Helna urbs. 292
S. Helena Inſ. 88

Iac. ab Hemskirchen. 238
Henares fl. 135. 183. *Regio.* 170
Henricus II. Galliæ Rex. 172
Henricus Luſitaniæ Rex ultimus. 221
Heraclea, vide Gibraltar.
Hidalgos vocabulum. 61
Hiſpalis. qu. Sevilla.
Hiſpania unde nomen 2. *alia nomina* 2. *Fines.* 2. *Aditus terreſtres ex Hiſpaniâ in Galliam & vice verſâ.* 3. 327. 332. 337. 338. 342. *vide Galliæ fines, ſitus & forma* 2. 3. *ambitus, ſive circuitus & magnitudo.* 3. 4. *Milliaria Hiſpanica* 3. *ſeq.* 89. 182. *Hiſpania major Galliâ.* 4. *Vetus & nova ejus diviſio, & diverſa regna & regiones.* 4. *ſeq. Inter ea præcipua ſunt Caſtilia, Aragonia, & Portugallia.* 4. *ſeq. Aër.* 6. *ſeq.* 155. *Soli fertilitas & ſterilitas.* 7. 8. *Agri in Hiſpaniâ non frequenter coluntur* 9. *Vnde frumenti penuria?* 8. *Hiſpaniæ frumenta* 10. *Vbi Hiſpania maximè culta.* 280. 283. *Vinum Hiſpanicum.* 10. 134. 178.

355. *Porcino corio reconditur.* 10. *Fructus.* 11. *ſeq.* *Vbi fructuum copia maxima.* 125. *Oleum.* 11. *Balſamus* 325. *Lardum optimum.* 199. *Linum.* 280. *Metalla.* 12. *Ferri copia.* 127. 362. *Thermæ & fontes* 13. *Flumina.* 13. *Lacus.* 14. 358. *Pontes, quare Pontes.* *Portus.* 14. *ſeq.* 207. 220. 231. 272. 360. *ſeq.* *Montes.* 15. *ſeq.* *Promontoria.* 16. *ſeq.* *vid.* *Algarbia, Gallicia.* *Equi Hiſpanici.* 17. 226 254. *Muli.* 17. *ſeq.* *Verveces, & alia animalia.* 18. *Venatio.* 19. *Hiſpania non eſt populoſa.* 7. 44. 49. 91. *Fortiſſimi Hiſpani, & optimi nautæ* 46. 122. *ſeq.* *Hiſpania non abundat nautis.* 15. *Hiſpanorum ſtupidiſſimi* 292. *Galli multi in Hiſpaniâ* 45. 290. *ſeq.* *Hiſpani ferè omnes volunt eſſe nobiles, & milites.* 9. 30. 44. *A labore abhorrent (præter nonnullos.* 279.) *& imperiti ſunt artifices.* 44. 290. *Quæ opificia in Hiſpaniâ vigeant.* 45. *ubi optimi enſes parentur.* 191. *optimi pan-*

panni. 151. 282. *curcubitulas quomodo Hiſpani adhibeant.* 46. 263. *Negotiatio Hiſpanorum* 20. 191. *Eorum indoles, animus, Religio, corporis figura, ritus, & conſuetudines* 9.11.29.*ſeqq.*37.42.*ſeqq.* 47.76. 103. 123. 303.*ſeq.* 286.255. 125. 129.130. 132.*ſeqq.* 134.*ſeq.*149. 203.204. 217.250. *Otioſos Hiſpani oderunt* 44. *Eorum veſtes* 46. 248.*ſeq.* 288. 297. *Oeconomia & ædes.*46.*quæ latrinis carent* 46.301. *Hiſpanorum cibus.* 11. 18. 42. 92. *Ipſis diebus ſabbathi carne veſci licet.* 14. 82. 134.*ſeq. Butyrum in Hiſpaniâ rarum.* 18.*ſeq. Hoſpitia vilia & tractatio vilis.* 47.*ſeq.*132. *Quid in itineribus obſervandum.* 133.*ſeq. Itinera per Hiſpaniam incommoda & periculoſa.* 238. 243. 269. 275. 288. *& paſſim in* 2.*cap. vide item in hoc titulo : Eorum Indoles &c. ut &, Statuta & leges Hiſp. peculiares* 29. *Fœminæ Hiſpanicæ* 46.49. 50. 286. 302. *Sta-*

tuta, matrimonium & publica lupanaria concernentia. 48. *ſeqq. De cornutis, & ipſorum pœnâ* 49. *ſeq. Statuta & leges Hiſpaniæ peculiares* 48. *ſeq.* 50. *ſeqq.* 74. *ſeqq.* 204. 241. 248. *ſeq.* 255. 273. 282. *ſeqq.* 303. *ſeq. Hiſpani juſtitiam colunt, & ſcelera puniunt.* 52. 103. 106. 149. 155. 248. *ſeq.* 255. 298. *ſeq.* 302. *ſeq.* 309. *Muſica Hiſpanorum haud magni momenti.* 37. *Eorum moneta* 24. *ſeqq. Lingua.* 20. *ſeqq. Status & ordines.* 54. Eccleſiaſticus. 54. *ſeqq.* 191. *ſeq.* 284. *ſeq. Reditus Eccleſiaſtici* 59. *ſeqq. vide etiam Toledo, Sevilla, Valencia &c. Gravantur.* 79. *Franciſcani multi in Hiſpaniâ.* 54. *In magnâ ſunt authoritate.* 100. *à Dominicanis diſſident* 142. *Ieſuitæ.* 55. *ſeq. Multi Sancti, & aliquot Papæ in Hiſpaniâ.* 41. 285. *Epiſcopi & Præſules Hiſpaniæ veteres* 60. *Templa præcipua vid. Templa. Academiæ* 38. *ſeq.* 40. *ſeq.* 135. *ſeqq.* 293. 296. 184. 191. 209. 217. 228.

228. 247. 258. 283. 313. 317. 302. 310. 322. 360. *Latina Hiſpanorum lingua.* 37. *ſeq.* 140. *Diſputationes* 38. *Viri docti nunc & olim, Theologi, Iuriſconſulti, Medici, Philoſophi.* 39. 40. *Ordo Nobilium.* 61. *ſeqq.* 91. *Nonnulli & diverſi Equitum auratorum ordines.* 57. *ſeqq.* 81. 98. *quære Portugallia. Aurei Velleris Equites.* 63. *Magnates, vel Los Grandes.* 63. 76. 97. *Ipſis quatuor tantùm equis curribus-junctis uti licet.* 63. *Familiarum Hiſpanicarum precipuæ.* 63. *ſeqq. Principum, Ducum, Comitum &c. numerus, & reditus.* 72. *ſeq. Cæſares Romani in Hiſpaniâ nati.* 41. *Hiſpani tolerantiâ ſummâ præditi, boni ſunt milites.* 42. *ſeq.* 91. 92. *Equitatus.* 21. *Civium & Civitatum ordo.* 73. *ſeq.* 76. 102. *ſeq. Civitates.* 20. *Quomodo regantur.* 102. 284. 248. *ſeq.* 318. *Quomodo Conſules appellentur.* 103. 216. *Officia emuntur.* 249. *Pulcherrima*

Hiſpaniæ civitas. 317. 153. *Maxima* 257. *populoſiſſimæ civitates.* 91. 171. *Civitas præcipua* 213. *Amœniſſima.* 263. *Emporium celeberrimum* 243. *Platea in Hiſpaniâ pulcherrima.* 319. *Duo pagi præcipui.* 170. *Macellum præcipuum.* 247. *Incolarum privilegia.* 75. 123. 126. 128. *Incolæ quodammodo pecuniæ inopiâ laborant.* 83. *ſeq. Comitia.* 73. *ſeq.* 314. *Rex Hiſpaniæ non eligitur.* 74. *Magnam potentiam & authoritatem habet.* 74. *ſeqq. Catholicus appellatur.* 75. *Ejus liberi & Gynecæum.* 77. *ſeq. Reditus.* 78. *ſeqq.* 218. *Bonorum ad orphanos pertinentium parte fruitur.* 82. *Expenſæ ſunt grandes.* 85. *Potentia & regiones.* 86. *ſeqq. potentiſſimus mundi Monarcha Hiſpaniæ Rex.* 86. *Potentia ejus diviſa.* 90. *Incolarum penuriâ laborat.* 91. *Eorum tamen copia in plurimis locis invenitur.* 91. 171. *Domi ſatis potens eſt.* 92. *Armamentaria Hiſpanica* præ-

præcipua. 92. 168. 215. 264. 303. *ſeq. Speculæ in maris littore.* 238. 289. *Aula & miniſtri Regis.* 92. *ſeqq. Præſidium, & cuſtodia* 94. *Muſici.* 95. *Collegia & Curiæ Regiæ juſtitiam adminiſtrantes.* 97. *ſeqq. Architalaſſi munus.* 232. *Cancellariæ ſive judicia aulica.* 98. 105. *Conſilium ſive ſenatus inquiſitionis.* 99. *ſeqq. Quomodo regiones Hiſpanicæ regantur.* 104. *Proceſſus juris in Hiſpaniâ.* 105. *Hiſpaniæ rectores antiqui.* 107. *ſeqq. Peregrini populi Hiſpaniam invadunt.* 108. 299. *ſeq. Arabes & Saraceni Hiſpaniam occupant.* 108. *ſeq.* 236. 241. 356. *Eorum extirpatio.* 109. 258. 262. *ſeq.* 267. 282. 300. *Quomodo Hiſpanica regna coaluerint, & ad Auſtriacam domum pervenerint.* 110. *ſeq. Vltimi Reges Hiſpaniæ.* 114. *Regum Hiſpaniæ genealogia.* 113. *ſeq.*

Hita. 169. 347

S. Honoratus. 336

Horihuela. 275
Horologium 147.178
Horti. 149.167.177.186.*ſeqq.*198. 222.246.249.*ſeq.*
Hoſtaletes. 293.309
Huelgas vocabulum. 141
Huria fl. v. Vidoſo.
Hyems dura. 178.*ſeq.*

I.

IAca vel Iacca. 312
S. Iacobus Apoſtolus. 321.359.*ſeq.*
S. Iacobus de Cacem urbs. 210
Iaen. 227
Iberus fl. v. Ebro
Idubeda montes. 13.16.339
Ignaiuda. 308
Ignatius à Lojolà. 306
S. Ildephonſus, vel Illephonſus. 192
Ilerda. 310
Ilervela. q. Evoella.
Illeſcas. 349
Illiberis. 292
Illice. 277
Illicitanus ſinus. 277
India. 88.89

Infantadgo, vel Infantatus regio, & Dux. 64. 169
Inquiſitio Hiſpanica. 36. 99. *ſeq.* 148
Inquiſitor primus. 320
Interamnium Flavium. 354
Iohannes de Auſtriâ. 166. 176
S. Ioan de Luz. 121. 123. *ſeq.*
S. Ioan, vel Iuan de pie de porto. 341. 351
Ioanna Hiſpaniæ Regina. 110. 153. 259
Ioannes III. Luſitaniæ Rex. 112. 222
Ioannes II. Hiſpaniæ Rex. 291
Iohannes Albretanus. 338
Iria Flavia. 360
Iron fl. 120. 124. *Vrbs.* 124.
Iſabella Hiſpaniæ Regina 110. 259. 344
Iſerga fl. q. Piſurga.
S. Iſidorus 357
L'Iſle Galliæ Comitatus. 329
L'Iſle en Dodon. 329
Italica Vrbs. 248
Ituriſſa. 339
S. Iulianus. 185. 336
Iulius Cæſar, v. Cæſar.
Iuncaria, Iunquera. 293. 334
S. Iuſtus. 183

K.

Kevenhuler Barones. 185

L.

Lacobriga, vel Lagos. 207. 210
Laletanus ager. 299
S. Lambertus. 321
Lampas inſignis. 285
Landes, vel Lapord Galliæ Regio. 120
Laredo. 122
S. Laurentius. 250. 314
S. Laurentii monaſterium q. Eſcuriacum.
S. Laurentii Inſula. 88
Lebazuza. 170
Lebrixa, vel Lebriza. 227. 228
Lecinena mons. 332
Lectus ingens. 260. ſeq.
Ledeſma. 354
Legio v. Leon.
H. Thomas Leodius. 6. 18. ſeq. 118. ſeq. 189. 337. 343. 343. 349.
Leon regnum 353. ſeqq. urbs. 353. 356. ſeq.
Lerida. 301. 310. 315
Lerma Vrbs. 137. 349. Dux. 63. 68.

68. 145. 148. 171. 185
Leſſo. 128
Lethe fl. 231
Lezuza, q. Lebazuza.
Liberalitas Iulia. 209
Linas. 333
Lipuſcoa v. Guipuſcoa.
Liſboa, Lisbona. 213. *ſeqq.*
Liskes, q. Illeſcas.
Llanes. 358
Lobetum. 313
Lobregat, Lobregato, Lobreger fl. 297
Legronium Logronno. 132. 352
Lombes. 329
Lopezii. 193
Lorca. 271. *ſeq.*
Lorena. 253
Lourde regio v. Lapord Vrbs.
Loxa. 267
Lucanus. 253
S. Lucar de Barrameda. 230
Lucas Tudenſis. 363
Luciferi Fanum. v. Lucar.
Ludovicus I. Imp. 300
Ludovicus XI. Galliæ Rex. 291

Lugdunum Convenarum.v. Lyon.
Lugo, Lucus. 362
S. Lupercus. 321
Lurcenich. 342
Luſitania, v. Portugallia.
Lyon De Comingeois. 329

M.

MAcao. 89
Madagaſcar Inſ. 88
Madera. 88
*Madritum.*46.83.102.168.170.*ſeqq.* 182. *Diſtantia inter Madritum & Poictiers.* 182. *ac Liſabonam.* 223
Magas. 142.*ſeq.*
Majorica Inſula. 85.300
Malacca. 89
Malaga. 92.264
Malagon. 349
Mancia. 170
Manreſa. 296
Manriques. 65
Manſilla. 353.*ſeq.*
Mantua Carpetanorum. 170
S. Marcellus. 357
Marchena. 227

Margaretha Auſtriaca. 34. *ſeq.* 383
Margari fl. v. Iron.
S. Maria finis terræ. 360
S. Maria de Guadalupa. 197
S. Maria de Magalon en los montes de Lecinena. 323
Mariani montes. 226
Maron. 347
Martialis Poëta. 314
Martorel. 298. 304
Martyres Tholoſains oppidulum. 331
Marzalcabir. 240
Matalebres. 347
S. Mattheo oppidulum. 289
Maubourget. 340. 341
Mauri v. Moriſci, & Hiſpania.
Mauri, ut beſtiæ venduntur. 217
Maximilianus I. Imp. 75
Mazagaon. 88. 240
Medellin. 200
Medina Campos, vel del Campo, vel Methymna Campenſis. 136. 355. 364
Medina Celi. 169
Medina rio ſecco. 355
Medina Sidonia. 235

Mel

Mel. 276
Melilla. 240
Monaſcus fl. Vramea.
Mendoza familia. 64
Iohannes de Menna. 172.253
Mercatus anniverſarius celebris. 355
Merida. 196.201.ſeqq.
Metallina q. Medellin.
Metaſthenes. 107
Methimna v. Medina.
Mexico. 200
Miajadas. 199
Milliaria Hiſpanica. 3.ſeq.89.182.
Mingo, vel Minius fl. 14.206.207.
363
Miniſtrorum in Hiſpaniâ libertas. 52
Minorica. 85.300
Mira. 12.13.14.119.156.157,176.
181.209.292.321.*ſeq.*358
Miranda d'Ebro. 134.349
Mirobriga. 354
Mocada. 150
Molina urbs. 135.*ſeq.mons.*311
Malin de Ré, vel Rech. 305
Moluccæ inſulæ. 85
Mon-

Moncada. 150.333
Moncayo montes. 16.31.314
Monçon. 314.
Monda. 227
Mondego, fl. 209
Mondogneto. 363
Monetaria officina. 154
Montegeau. 329
Mons altiſſimus.
Monſerrate monaſterium celeberrimum. 301.305.ſeqq.
Monſonium v. Monçon.
Montalegre. 364
Monteamor. 211.ſeq
Monterei. 363
Monte ſerrato q. Monſerrate.
Montiel, Montilla. 348
Montmarſan. 119
Monyvi, mons. 302
Moriſci. 109
Ambroſ. Morales. 253
Morvedro. 276.287.ſeqq.
Morrico. 126
Mozambique. 88
Munda fl. 209. *urbs.* 266

Munimenta v. arces.
Murcia urbs. 273. *ſeq. regnum* 270. *ſeqq.*
Muret. 329
Muſſacra. 270

N.

NAjara, vel Najera. 339. 353
Narbona. 337
Navarette. 339. 353
Navarra. 4. 109. *ſeq.* 338. *ſeqq.*
Navium ſtructura in Hiſpaniâ. 15
Nebriſſa. q. Lebrixa.
Nerium promont. 360
Niebla 229
Noia. 363
S. Nona. 357
Numantia. 137
Nuptiæ. 283

O.

OCca, q. Idubeda
Ocanna, vel Occanna. 169. 347
Officia venduntur in Hiſpaniâ. 249
Oeaſo, v. Fuentarabia.
Ognate Comitum familia. 70
Oliſippo, v. Liſabona.
Olite. 339. 342

On-

Onhar fl. 333
Onnatenſis Academia in Cantabriâ. 41
Opera artificioſa. 139.*ſeq.* 245. 152. *ſeqq.* 163. *ſeqq.* 181. 250. 284. 293. 339. 172.
Ophiuſa. 87
Oran. 240
Orcelis, v. Orihuella.
Ordonius Hiſpaniæ Rex. 179
Ordugna. 122
Orens, Orenſe, Orenſium. 362
Oria urbs, q. Eria.
Oria. fl. 130
Orihuella v. Horihuela.
Ormiſenda Legionis regina. 357
Ormuz Inſ. 88
S. Orontius. 314
P. Oroſius. 196
Oroſpeda mons, 16
Orthes. 341
Orzanaga. 354
Oſca. 313
Oſcia fl. 353
Oſma. 136

Oſſe-

Oſſera. 116
Oſſuna urbs. 227.228. *familia.* 67. 301
Ovetum, Oviedo. 358

P.

PAcenſes, q. Pax.
Padro. 363
Pægna. 136
Palacios, Palantia, Palatium, Palencia. 137.227.243.353
S. Palas, vel Palay. 341
Palatia v. arces.
Palos promont. 270
Pamemo. 134
Pampelona, Pamplona, Panplona. 342. 346
Pardo. 178. *ſeqq.*
Paſſagio. 126.128
S. Paſtor. 183
Paſtrana familia. 67
Pax, Pax Auguſta. 203
Pax Iulia. 210.224
Pegnon. 240
Pelagius Hiſpaniæ Rex. 109.153.356
Peniſcola. 383
Pen-

Penna de los Enamorados. 16
Penna fiel. 143
Ant. Perez. 74
Perpinianum. 291. 334
Pertus. 334
Peſcara familia. 69
Petrus Simonis. 10
Petrejus. 310
Petroche. 195
Petronella Aragoniæ regina. 318. *ſeq.*
Petrus Caſtellæ rex. 234. 246
Philippus I. Hiſp. rex. 110
Philippus II. 111. *ſeqq.* 114. 139. 156. 159. 174. 176. 180. 199. 204. 212. 220. 234.
Philippus III. 63. 68. 85. 114. 139. 283. 307. 320. 187
Philippus IV. 68. 85. 114
Philibertus Sabaudiæ Dux. 232
Pimenteli familia. 143
Pintia Ptolomæi. 143
Piratarum pœna. 233
Piſuerga, Piſurga fl. 142. *ſeq.* 149
Pitiuſæ inſulæ. 87
Placentia in Hiſp. 126. 137. 196

Pliego. 364
Poblet, Pobletto. 296. *ſeq.*
Poliliena, Pollenio. 324
Pompelona q. Pampelona.
Pondanſac. 118
Ponferrada. 354. 359
Ponte deaume. 363
Ponte della Reyna. 354
Pontes in Hiſp. 154. 169. 209. 242
252. 202. 293. 322. 353.
Pontevedra. 363
Populetum, v. Poblet.
Portilla. 270
Porto urbs. 207. *tranſitus inſignis*, 3. 327
Porto elgrajo. 286
Portugallia. 4. 7. 9. 27. 31. 47. 88. 105. 269. *Regni hujus deſcriptio.* 206. *ſeqq.* *Regni ſtatus Eccleſiaſticus.* 60. 207. *Nobilitas.* 73. *Reges* 111. 208. 221. *Eorum ſepultura.* 221. *Annuus reditus.* 84. *Lis ob ſucceſſionem, in Regno, & quo pacto cæteris Hiſpaniæ regnis Luſitania adjuncta ſit.* 111. *ſeqq.*
Portus maris diverſi. v. Hiſpania.

Pri-

Privilegia ſingularia. 122.*ſeq.*126. 128.*ſeq.*355
Promontorium ſacrum. 207
Puebla. 316
Puente del Arçobispo. 195
Puerto de Malamagor. 277
Puerto tranſitus. 327
Puerto de S. Maria. 227.232
Puerto Marin. 359
Puerto real. 227
Puerto del fonte frio. 156
Punta de S. Sebaſtiano. 237
Purpureus & coccineus color. 203
Pyrenæi montes. 15.*ſeq.*125.311.325. 328.

Q.

Q*Vadalavias fl. q. Turia.*
Quadalquivir, ſeu Bætis fl. 14. 231. 252.
S. Quentin in Galliâ. 156.176

R.

S. R Aimundus. 322
Raimundus Berengarius. 319
Ramirus rex. 318

Ra-

Ravaſteins. 340

Regiorum primogenitorum in diverſis regionibus diverſa nomina. 77

Regna exigua. 113

Reliquiæ Sanctorum in Hiſpaniâ. 131. 185. 198. 262. 269. 320. *ſeq.* 323. 305 *ſeqq.* 336. 360.

Renteria oppidulum. 125. 127

Rhinoceros primus in Europâ viſus. 178

Ribadeo fl. 358. *urbs.* 489

Ribagorzia v. Ripagorzia.

Ricaredus Catholicus. 357.

Rioſcia regio. 339. 353

Ripagorſa, Ripagorzia. 312. 326

Ritus ſingulares in Hiſpaniâ. q. Hiſpania. Item 340.

Rivadavia. 363

Riuſnes. 329

Rocca. 333

Rochefort. 119

Rocida vallis. 341

Roda. 364

Rodericus Gothorum in Hiſpaniâ ultimus rex. 108. 241

Rolandus. 341
Romana potentia. 86.ſeq.
Roncevalles. 341.352
Roncevallenſes montes. 15
Ronciglione v. Roſſillon.
Ronda. 265
Roſeca. 355
Roſſillon Comitatus. 291.336
Royas. 296
Royellos. 211
Rubricatus fl. q. Lobregat.
S. Rufus. 293
Ruſcino. 336
Ruſcinonenſis Comitatus q. Roſſillon.
Ruſticus, qui thoracem ſericum indutus aravit. 255
Ruſticorum Patronus. 321

S.

SAcellum viſu dignum. 254.259
Saccharum. 274
Sagiago. 354
Saguntum. 287
Sahagun. 353
Salinæ. 224.277.292
Salmança, Salmantica. 38.41.136

Saldagna. 354
Saliens. 329
Salobrenna q. Salubregna.
Salone. fl. 314
Salſadella. 289
Salſas. 291.336.ſeq
Salſona. 292
Salſulæ q. Salſas.
Salvaterra. 132.341
Salubregna. 256
Samathan. 329
Samedel. 353
Sanabria. 358
Sanctia Legionis regina. 357
Sangueſſa, Sanguezza. 339
Sanguile. 325
Santander. 358.ſeq.
Santarenum. 209.ſeq.
Santiago, v. Compoſtella.
Santorquato. 374
Saraceni. 108.ſeq.
Saragoſſa, Saragoza. 300.316.342
Sardinia. 87
Sarria. 363
Ioh. Fridericus, Saxoniæ Princ. 148.172
174.180.
Sca-

Scalabis, v. Santarenum.
Scombraria Inſ. 272
Scombraria Promont. 270
Scortationis pœna. 108
Sebaſtianus Luſitaniæ Rex 111.176. 173. 199.221
S. Sebaſtian civitas. 126. 128.*ſeq.*
Segovia. 136. 151.*ſeqq.*
Segre fl. q. Sigro.
Seguntia q. Siguenza.
Segura oppidulum. 130. 350
Segura fl. 273
Selves. 226
Sena rivus. 290
Seneca. 353
Sentica. 353
Septa. 88. 236. 240
Serpa. 225
Q. Sertorius. 313
Seſſi Duces. 254
Setabis fl. 273. *urbs.* 280
Setubal. 211. 224
Sevilia, Sevilla. 243.*ſeqq.*
Sgeva fl. 144
Sicilia. 87.88

Sicoris fl. 310
Sierra regio. 168. 170
Sierra Morena montes. 81. 225
Aloyſia Sigæa. v. Aloyſia.
Sigro fl. v. Sicoris.
Siguenza. 135. 169
S. Sillon. 333
Simanca. 137
Simplices homines. 200. ſeq.
Sinco fl. q. Cinga.
Sinis. 210
Sioorpe. 330
Sobrarvia regnum. 312
Somack herba. 267
Spania v. Hiſpania.
Spartum. 272
Speculum inſigne. 172. 174
Spera. 242
Staberus fl. 273
Stella mons. 14. *urbs,* 339. 352
Strumis laborantes homines. 330
Sucro fl. q. Xucar.
Suevi in Hiſpaniâ.
Syngilia. 266
Sylves. 207

Ta-

T.

Tafalla, vel Taſſaglia. 335. 342. 346
Tagus, Tajo fl. 13. 169
Talavera de la Reyna. 170. 194. ſeq.
Talavera de Badajoz. 203
Talets. 289
Tanger, q. Tingis.
Tarazona. 314
Tarba. 340
Tariff. 236
Tarracon, Tarragona urbs. 295. ſeqq. 299. 301
Tarraconenſis Hiſpania. 270. 281. 295
Tarraga. 309
Tarteſſe. 119
Tavila. 207
Taurus q. Toro.
Tembleique. 347
Templa Hiſpaniæ celebria. 139. ſeq. 191. ſeq. 217. 245. 253. ſeq. 259. 284. ſeq. 320. 356. 360.
Tentugala. 209
Ter fl. 333. 358
S. Tereſia. 136
Terra de Campos. 136

Terræmotus. 221.253
Tervel. 314
Theatinorum Ordo. 148
Thelis fl. 335
Theodoſius Magnus. 248
Thera fl. v. Ter.
Thermæ in Hiſpaniâ. 13.265.330. 340.362. *vid. Hiſpania.*
Theſauri. 146.262.*ſeqq.* 190.198. 285.*ſeq.* 307.320.
Thice fl. q. Ter.
Tholoſa in Galliâ. 340.341.*in Hiſpaniâ q. Toloſa.*
S. Thomæ Inſ. 88
Tievas. 342
Tingis. 88.240
Tirica. 294
Toledo urbs. 50.168.189.*ſeqq.* 364. *Archiepiſcopatus.* 59.192.*ſeq.*
Toledo familia. 65
Toloſa, Toloſetta in Hiſpania. 126. 130.126
Tomar. 210
Tordeſilla. 454
Tormis fl. 136

Tor-

Tornatorum opera. 293. *ſeq.*
Toro. 354. *ſeq.*
Torquemada. 142
Torr fl. 149
Terre Dembara. 296. *ſeq.*
Torto fl. 358
Tortoſa. 293
Totana. 273
Trajanus Imp. 248
Traiguerra, 289
Trevigno. 132
Tria Caſtella. 359
Trie. 340
Triguexas. 229
Tubal, & Tubalai. 107
Tude q. Tuy.
Tudela. 338. 339. 342
Turia fl. 282. *urbs.* 313
Turiaſſo v. Tarazona.
Turcicum Imperium. 86
Turqueſa lapis. 353
Turres viſu digna. 245. 274
Tuy. 363
Tyde v. Tuy

V.

V *Aena.* 254

Valenca. 206
Valencia urbs. 28. *ſeqq. Regnum.* 275. *ſeq.*
Valladolid. 136. 143. *ſeqq.*
Valverde. 357
Vandali, Vandalia. 226
Vas quo Chriſtus ſacram ſynaxin celebravit. 265. *ſeq.*
Vaſatæ. v. Bazas.
Vbeda. 348
Chr. à Vega. 185
Vela q. Velez.
Velaſco familia. 63. 135
Velez Marchiones. 269
Velez el Rubio. 270
Velez Malaga. 264
Venaſca. 313. 326
Vera. 270
Veremundus Legionis rex. 357
Vergara. 194
Vermeja. 122
Vermisſectio. 179
Verus fl. 324
Vettones. 195
Viana. 339. 352. 364

Vich, Vicq. 292
Victoria urbs. 132.133.344.350
Viderſo, Vidoſo fl. 169.344
Vierzi. 354
Vigo. 363
Vilehes. 348
Villa Franca. 130.297.353.ſeq.359
Villa harta. 200.348
Villalpando. 354.364
Villa Martin. 353
Villa Mayor. 323
Villa nova, portus. 207
Villa nueva. 297
Villareal. 288
Villena. 364
S. Vincentii promont. 207
Virgi, Virgitanus ſinus. 270
Viſeo. 211
Viteſco fl. v. Iron.
Vitex. 222
Vitriaria officina. 294.302
Vittoria q. Victoria.
Vivarium. 156.ſeq.
L. Vives. 283
Vnda fl. 333

Vramea fl. 128
Vraniæ Princeps. 150
Vrenna familia. 228
Vrgel. 292. 315
Vvæ paſſa. 264. 267
Vxama v. Oſma.

W.

WAmba. 190

X

XArama fl. 185. 188
Xativa. 276. 280
Xenil fl. 252
Xeres, Xerez de la Frontera. 227. 241. ſeq.
Xerica. 276
Xenodochia. 177. 191. 218. 247. 322
Xicona, Xicono. 277
Fr. Ximenes, Cardinalis. 40. 184
Xucar 281

Y.

YRan q. Iron,
Yvica. 87
Yrvela q. Evoella.

Z.

ZAmorra. 137

Za-

A01 1146 8171

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google